De expun... ...

T 4 fen.ª ... 2 nº 3

8° 5134

Cardona

DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

M. 14. 157

Iohannis
BAPTISTAE CARDONAE
DOCTORIS THEOLOGI CANONICIQ. VALENTINI
AD
S. D. N. GREGORIVM XIII. PONT. OPT. MAX.

DE EXPVNGENDIS HAERETICORVM
propriis nominibus etiam de libris qui de
religione ex profeſſo non tractant.

ADIECTA EST IOHAN. MATTHAEI GRILLI Nobilis Salernitani ad fratrem epiſtola de rationibus & cauſis, quae eum mouerunt ut ad Eccleſiam Catholicam Romanam rediret.



Exbibli-ca Altemps-na

CVM LICENTIA SVPERIORVM.

ROMAE, Apud Ioſephum de Angelis.

M. D. LXXVI.

Tr. R. C 263 D

CVM superioribus diebus inter grauiſſimos & illuſtriſſimos uiros orta fuiſſet dubitatio de damnatorum auctorum libris, qui quincta & octaua Indicis regulis permittuntur, an nomine emendationis & expurgationis ſint hæreticorum nomina propria expungenda, quæ in titulis & inſcriptionibus librorum, qui de religione non tractant, continentur; an potius conſeruari debeant expunctis his, quæ catholicæ religioni ſynceræq. doctrinæ repugnãt, eam docte & grauiter pro utraq. parte agitarunt: ſed cum non ex inſtituto ad eam quæſtionem tractan-

dam conueniſſent, ſed caſu in eam incidiſſent, rei grauitas ancepsq. difficultas eos ad pronunciandum tardiores fecit, & longiori conſideratione opus eſſe conſtituerunt, aliorumq. primum ſententias audiendas cenſuerunt, ut maturius & prudentius ea de re ferrent iudicium. non enim alienum eſt ad recte eligendum quod dubitationem affert, doctos uſuq. peritos adhibere. inter alios uero quibus id oneris detulerunt, mihi plane nemini eorum neque ætate neq. eruditione conferendo delatum etiam eſt, quod longe maius quam ut ferre poſſem intellexi: ſuſtinui tamen, ne quod tanti uiri iuſſerant pudore quodam ſubruſtico uiderer recuſare. Incoepi itaq. omnem curam & cogitationem in eam rem intendere, libroſq. omnes,

quos

quos uidere licuit, éuoluere; ſed nihil tandem reperi, quod meam cauſam iuuare poſſet. Nam etſi omnes, qui de hæreticorum poenis conſcripſerunt, quæſtionem illam de comburendis hæreticorum libris doctiſſime et diligentiſſime ſint perſecuti, eorum tamen rationes ſi attente cõſideres, illud tantum probant, hæreticorum nempe libros prohibendos, in quibus contra religionem et ſanam atq. catholicam doctrinam de induſtria diſputatur: ſed hanc noſtram, An ſcilicet hæreticorum nomina deleri omnino debeant de libris, qui nihil prorſus de religione tractant, qui in regulis indicis permittuntur, omnino intactam reliquerunt, quam Ieſu Chriſti Domini noſtri diuina ope adiutus aggreſſus ſum, et rationes hinc inde ex-

cogitare et conquirere cœpi. tandem poſt lentam et faſtidioſam meditationem ad eam partem inclinaui, quam ueriorem, tutiorem et magis ad Chriſti gloriam et honorem, atq. Eccleſiæ utilitatem pertinere arbitrabar, nempe, Hæreticorum nomina tolli deleriq. omnino debere ex titulis eorum etiam librorum, in quibus nulla de ſuo apponunt, ſed aliorum tantum dicta colligunt. Adducebar uero nonnullis rationibus, quæ ſimul collectæ et conglobatæ ſententiam hanc meam uidebantur cõfirmare. argumenta enim quæ rei, de qua agitur, natura imbecilla quodammodo facit, mutuo auxilio ſuſtinẽtur, quæ ſi nõ poſſunt ualere, quia magna non ſunt, ualebunt quia multa ſunt, quæ ad eiuſdem rei probationẽ omnia ſpectant: ſingula ſiquidem

etſi leuia uideantur, uniuerſa tamen aliter ſentientibus nocent, etiam ſi non ut fulmine, tamen ut grandine, ut acute de argumentorum uſu ſcripſit Fabius. quarum uis et robur ut magis magisq. concipiatur et ſentiatur ab iis qui mihi hac in re obſtiterunt, ſimpliciter et breuiter eas proponere ſtatui, ne ſi uerborum ornamenta et orationis longas periodos adhiberem rebus ipſis, quaſi diffidens ad uerba confugere uiderer, quæ ſatis ornata mihi quidem uideri ſolent, ſi huiuſmodi ſunt, ut ea res ipſa peperiſſe uideatur. mihi enim res ſemper magis in ſtudio fuerunt quam uerba, quippe qui nullum unquam in ornate dicendi arte (quæ uniuerſam hominis ætatem occupare poteſt) me tempus poſuiſſe ſciam: ſed in indagandis et perdiſcendis re- *F. Quint. li.5. inſt. Ora. c. 12.*

bus, quantum in me fuit, elaboraui. At hæc quæ ſcribo ſatis quidem meam imperitiam et ignorantiam produnt: ſed iam ad rationes accedamus. Ceterum cum earum cognitio et iudicium ex duabus regulis indicis quodammodo pendere uideantur, recta docendi uia et ratio poſtulat eas præmittamus.

Ex

EX INDICE LIBRORVM PROHIBITORVM

PER PATRES A TRIDENTINA SYNOdo delectos confecto, Regulæ, quæ ad propoſitam cauſam faciunt.

Regula Quincta.

LIbri illi, qui Hæreticorum Auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de ſuo apponunt, ſed aliorum dicta colligunt, cuius modi ſunt Lexica, Concordantiæ, Apophtegmata, Similitudines, Indices, & huiuſmodi, ſi quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis Epiſcopi, & Inquiſitoris una cum Theologorum

Ca-

Catholicorum conſilio ſublatis, aut emendatis, permittantur.

Regula Octaua.

L*Ibri, quorum principale argumentum bonum eſt, in quibus tamen obiter aliqua inſerta ſunt, quæ ad hæreſim, ſeu ad impietatem, diuinationem, ſeu ſuperſtitionem ſpectant, à catholicis theologis, inquiſitionis generalis auctoritate, expurgati, concedi poſſunt. Idem iudicium ſit de prologis, ſummarijs, ſeu annotationibus, quæ à damnatis auctoribus, libris non damnatis, appoſitæ ſunt; ſed poſthac non niſi emendati excudantur.*

LIbrorum lectio lectorum fidem & beneuolentiam conciliat, ex quo cum bona pars hominum iudicio careat, fit ut lectores plerumque de quibuſcunq. ſcriptoribus magnam concipiant exiſtimationem: quod ſi uiderint aliquando in eorum libris aliqua theologiæ, vel aliarum diſciplinarum ſemina ſparſa, facile credunt, eos in omnibus abſolutos eſſe, quæ ſane opinio, cum amicitiæ conciliatrix ſit, pernicioſa & periculoſa eſt: ea enim decepti periculum eſt ne lectores ad alia eiuſdem auctoris opera & quærenda & legenda nimis curiose ferantur, quod omnino uitandum eſt. quare ut omnem bonam de hæreticis opinionē, amicitiam, amorem ab animis fidelium euellamus, nomina eorum omnino

RATIO I

nino

Niceph. li 14. *Eccleſiaſt. Hiſt. c.* 24.

nino expungenda iudicarem. Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui Eccleſiæ incrementis mirifice ſuam operam nauauit, cum audiſſet Sabbatium illum, qui propter Paſchæ diem Iudaico more celebrā dum a Nouatianorum eccleſia ſeceſſerat, & gregem ſibi ſuum coegerat, Rhodi, ubi exulare iuſſus fuerat, uitam finiiſſe: popularesque factionis eius corpore illius inde translato, circa ſepulcrum eius precationes peragere, & ueluti uiro ſancto reuerentiam cultumq. præſtare, noctu hominibus certis miſſis, cadauer Sabbatii ſepeliri in loco alio curauit. Porro ſectatores illius ubi tumulum uiolatum repererunt, cæremonias ſuperſtitionemque ſuam ad ſepulcrum eius poſthabuerunt, & deleto ſepulcro etiam cæremoniæ & laudes

des obliuione fuerunt extinctæ. Sic ſi ad ſanctiſſimi uiri præclarum & ad imitandum expoſitum exemplum, hæreticorum nomina propria mutemus aut uiolemus, populares & ſimplices, atq. cæteri imprudentes omnem reuerentiam cultumq. quem ſuperſtitioſe & aniliter hæreticorum nominibus tribuunt paulatim longe retroq. ponent, & nullo prorſus ad eorum nomina, ad quæ cum clamore & populari admiratione quaſi ad ſepulcrorum elogia conuertuntur, relicto itinere, omnem eorum exiſtimationem & opinionem perpetua obruet & delebit obliuio.

Si Imperatorum leges in criminibus maieſtatis humanæ tyranni memoriam damnabant, multo magis qui diuinam tentarunt lædere maieſtatem, tale debent ſubire iudicium. II

quid

Cod. Theo. li. 15. tit. 14. quid autem ſit alicuius memoriam damnare conſtat ex Codice Theodoſiano de infirmandis his quæ ſub tyrannis aut barbaris geſta ſunt.

Impp. Honorius & Theodoſius A A. Hadriano. PP.

Heracliani uocabulum, nec priuatim nec publice ulla memoria teneat, ideoq. ſubmo uenda eſſe cenſemus quæcumq. &c.

Impp. Arcadius & Honorius AA. Aureliano PP.

Omnes res Eutropi, erepto ſplendore eius, & conſulatu a tætra inluuie & commemoratione nominis eius, & cœnoſis ſordibus uindicato, ut

ut eiuſdem uniuerſis actibus anti-
quatis omnia muteſcant tempora,
nec eius enumeratione ſæculi no-
ſtri labes appareat.

Et paulo inferius.

Omnes ſtatuas, omnia ſimulacra, tam ex ære, quam ex marmore, ſeu ex fuſis, quam ex quacumq. materia, quæ apta eſt effingendis, ab omnibus ciuitatibus, oppidis, locisq. priuatis ac publicis præcipimus aboleri, ne tamquam nota noſtri ſæculi obtutus polluat intuentum.

Impp. Theod. & Valentinianus AA. Leontio P. V.

Damnato portentoſæ ſuperſtitionis auctore Neſtorio, nota congrui nominis eius inuratur gregalib.

Paulo inferius de libris Neſtorij:

quos

quos diligenti ſtudio requiri, ac publice comburi decernimus: ita ut nemo in diſputationibus aliquam ſupra dicto nomine faciat mentionẽ.

Impp. Arcad. et Honor. Aſcrepiodoto P. P.

De hæreticis omnibus (quorum et errorem execramur et nomẽ) hoc eſt de Eunomianis, Arianis, Machedonianis, ceterisq. omnibus, quorũ nomina ſanctioni tædet inſerere:

Aliud edictum

Nemo Manichæum, nemo Donatiſtam, qui præcipue (ut comperimus) furere non deſiſtũnt, in memoriam reuocet.

Perſpicuum igitur ex his eſt, cum memoria damnabatur a ſubſcriptio-

nibus

nibus & publicis tabulis nomina expungi. quamuis enim eo tempore, quo recepit imperium Zeno, & conſtitutiones edidit, Conſul Baſiliſcus fuerit cùm Armatio, attamen Baſiliſci nomen in conſtitutionum eo tempore editarum ſubſcriptionibus ideo præteritur, quod eius memoriam Zeno damnauerit. multo igitur minus hæreticorum nomina, quorum memoria damnata etiam eſt, ſunt conſeruanda in titulis & inſcriptionibus librorum, ſed potius omnino expungenda. nam librorum inſcriptiones tituli dicuntur, quaſi tutuli quod memoriam ſcilicet factumque auctoris tueantur, quomodo & Feſtus Pompeius ait, milites præſidiarios dictos eſſe titulos, quaſi tutulos quod Remp. tueantur. *F. Pomp.*

III. Hæretici, teſte Clemẽte Alex. glo- *Cle. Alex. li. 7. ſtrō.*

riam deſiderantes: res nouas magna qui perſequuntur, adulterant ueritatem, & Eccleſię regulam furantur, propriæ cupiditati & gloriæ inſeruientes. adiungit paulo poſt: Gloriæ autem tenentur deſiderio, qui ea, quæ ex ſua natura conueniunt ſermonibus diuinitus inſpiratis, tradita a beatis Apoſtolis & Magiſtris, ſua ſponte, fallaci ſapientiæ ſimulatione corrumpunt per alias tractationes, ut hæreſim conſtituant: quæſtiones uero, quæ nimio ſui amore laborant, & ſunt ambitioſæ & cupidæ gloriæ, ſunt hæreſes eorum, qui non didicerunt quidem, neq. uera acceperunt, ſed ſibi cognitionis ſumpſere perſuaſionem: Quod S. Auguſtinus confirmat: Hæretici, inquit, alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ, principatusq. gratia falſas ac no

Aug. lib. de utilit. cred. c. i.

uas

uas opiniones uel gignunt uel ſequuntur. idem S. Sixtus: Subtiliter eos per gloriæ cupiditatem Diabolus ludit, & peccandi eis geminat occaſionem, ut dum indebitam doctrinæ famam aucupantur, peccata defendant. in quibus ambitionis & gloriæ tanta eſt uis & amor, ut eam, nec cæleſtis & perpetuæ beatitudinis labefactare ſpes queat, nec horribilis & infinita gehennæ ualeat formido deſtruere. Optatus Mileuitanus multa narrat de faſtu & arrogantia Donati: Exaltatum, inquit, eſt cor eius, ut ſibi iam non homo, ſed Deus fuiſſe uideretur. deniq. in ore populi raro eſt appellatus Epiſcopus, ſed Donatus Carthaginis dicebatur, quaſi plus eſſet ipſe quam ceteri. quibus adiici poteſt, quod Donatiſtæ iactabant: Deum de cælo reſpondiſſe oranti Donato,

Sixtus de mal. doct.

Opt. lib. 3. ad Parm.

Aug. trac. 13. in Io. idem Epiſ. 165. nato, ut ſcribit S. Auguſtinus, & Angelum apparuiſſe, qui eius ſectam commendaret, ut idem S. Aug. refert. Illud quoq. adiicendum uidetur Donatum ſibi arrogaſſe principatum Carthaginis, quod S. Hieronymus annotat, & tandem Carthagine pulſum fuiſſe. narrat Sulpitius Seuerus Priſcillianiſtas per nomen ſui Priſcilliani iuraſſe. de arrogantia, ambitione, & impudentia Pauli Samoſateni multa referunt patres Concilii Antiocheni in epiſtola de eius damnatione. atq. ob hanc cauſam Sanctus Apoſtolus uolens fidei unitatem Philippenſibus perſuadere admonet eos, ab omni inani gloria abſtinere, quod hanc plurimum fidei unitati nocere poſſe intelligebat, Vnanimes, inquit ille, id ipſum ſentientes, nihil per contentionem, neq. per inanem glo-

Hier. in chron.

Sulp. Seu. in Hiſt.

Euſ. lib. 7. Hiſt. Eccl. c. 26.

ad Phil. 2

riam. Cum igitur omnibus hæreticis inſita ſit inanis gloriæ temeraria effrenataq. cupiditas, & propagãdi nominis flagitioſa & perdita libido, qua miſere exagitati non uerentur omnia immutare, miſcere, diſſipare longam ut ſui memoriam conſeruent; qua etiam de cauſa omni laborant conatu, infinita ſcriptorum & uoluminum genera quotidie conficiunt, commentarios, opuſcula, tractatus, collectanea, progymnaſmata, bibliothecas, hiſtorias, chronica, paradoxa, apologias, epiſtolas, præfationes, argumenta, coronides, appendices, corollaria, paratitla, gloſſemata, annotamenta, ſcholia, caſtigationes, obſeruationes, cenſuras, antidotos, prolegomena, partitiones, ſacrorum librorum tralationes, impreſſiones, milleque alia impudentiſſi-

tiſſimæ temeritatis opera, quibus ſuum nomen cum magnificis titulis, qui teſte Heſychio inſignis ſunt memoria uanitatis, inſcribũt, ut alios in ſui nominis admirationem trahant; ſicque his fraudibus multi decepti in eorum nomine acquieſcant. propterea cenſerem eorum nomina delenda, ut uidelicet illud, quod per librorum editiones tam impotenter nomen celebre concupiſcunt, non aſſequantur, ſed eam, quam malis artibus laudem comparare ſtudent, nominum litura adimamus, tum etiã cæcam illorum & incenſam ſcribendi cupiditatem comprimamus, ac debilitemus; & omnem occaſionem edendi libros ab eorum animis eripiamus. Nemo ſane hæreticus homo erit, qui in ea re defatigetur, ex qua nullum nomen ſit ad memoriã

Hſych. lenit. 26.

re-

remanſurum: horum enim natura ſolatio quodam ſui caduci & fragilis exitus excogitato, ſui memoriam imaginum monumentis, picturis, librorum editionibus, nominum ſuorum egregiis inſcriptionibus præclarisq. titulis, quaſi litteris maiuſculis in tabulis quadratis & columellis ut olim inciſis, tamquam immortali honoris claritate nititur illuſtrare. Addat ergo eis Dominus mala, addat mala glorioſis terræ, & gloriam eorum in puluerem deducat. *Iſa.26. ſecũd.70.*

IV. In librorum expurgationibus id ſemper prudenter & religioſe a uiris catholicis ſeruatum eſt, ut hæreticorum laudes & encomia deleantur: at ego non uideo maiorem laudem & commendationem hæretico homini tribui poſſe, quam quod Ecclesia hæreticorum libros, qui de re

ligione non diſputant permittens, eorum nomina in titulis conſeruet, & cum honore præclaro ad poſteros tranſmittat: ſic enim uidebitur quodammodo tuba altius inſonare famam celebritatemq. nominum eorum, ut in oculis omnium eorum nomina uiuant, & clariſſima luce fruantur, cum tamen obſcura & incognita in tenebris deliteſcere, & tamquam improbata, abiecta ſine honore miſere in ſordibus iacere, & craſſa occultata & circumfuſa caligine latere debeant. ne igitur honorem aliquem in Eccleſia Domini, cui tam maledice & contumelioſe detrahũt, habere uideantur, neue eorum commemoratione catholicorum uenerandi conuentus offendantur, eorum nomina delenda putarem. Titulum autem habere in operibus publicis

quam honorificum ſit & glorioſum, conſtat ex Strabone, qui ex Artemidoro refert poſt mulierum ornamē ta, multasq. opes ad templi Dianæ refectionem collatas, poſt incendium ab Heroſtrato factum, Alexandrum & factas & futuras impenſas ad perfectam templi ſtructuram pollicitū, dummodo ipſe titulum in eo haberet. & cum idem Alexander Thebanorum mœnia diruiſſet, Phryne impudica mulier pollicita eſt de ſuis impendiis repoſituram, modo ciues paterentur hunc inſculpi titulum, Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη. id eſt. Alexander quidem ſubuertit, ſed Phryne reſtituit. atq. hinc factū eſſe exiſtimo, ut titulus pro laude & dignitate ponatur. *Strab. lib. 14. geog.*

At tua proſequimur ſtudioſo pectore Cæſar
Nomina, per titulos ingredimurq. tuos. *Ouid. lib. 2. Faſt.*

V. Si nomina hæreticorum in libris, qui de religione non diſputant, con ſeruanda eſſent, uel id fieret, ne ſi in certo auctore prodirent, alio ex ca pite damnata cenſerentur, uel ut auctorum nomina his quæ in libris do centur auctoritatem fidemq. tribuerent: at nihil horum obſtare uideo. nam in præfatione Indicis librorum R.P. Franciſcus Forerius deputatio nis ſecretarius aperte teſtatur, non omnes libros, qui nomen auctoris non præferunt, damnandos, ſed iudi cio Epiſcoporum & Inquiſitorum una cum theologorum catholicorũ conſilio id relinquendum. uides igitur nihil eſſe incommodi quod huiuſmodi libri ſine auctoris nomine publica auctoritate permittantur.

Quod uero ad rerum, quæ in libris tranctantur, fidem auctoritatemque

ſpe-

ſpectat, quam ab ſcriptorum nomibus ſæpe habent, non eſt quod immoremur, cum hæretici tá infames ſint, ut fere nulla in re fidem facere poſſint, nullumq. exercere munus, quod bonam fidem exigat: eorum ſi quidem nec teſtimonium, nec patrocinium admittendum eſt, cum teſtis adeo innocens integerq. eſſe debeat: ut fide careat, ſi ei bona uita defuerit: non enim poteſt iuſtitia cum ſcelerato hominehabere commertium. *Greg. IX. ex Iſid.* Hæreticus igitur, qui falſum dedit de fide catholica teſtimonium, iuſte præſumitur de quauis alia re falſum dicturus. A mendace, inquit Eccleſiaſticus, quid uerum dicetur? *Eccleſ. 34.* quib. uerbis aperte docet, non eſſe habendam fidem homini mendaci. nulla igitur in re fides adhibenda hæretico, quia ſemel in grauiſſimo & pernicioſſiſimo

mo mendacio eſt deprehenſus. Et uir catholicus a perfidioſo hæretico fideiq. uiolatore nefario ueritatis teſtimoniũ ſumere nec poteſt nec debet. non enim ueritas ita proſtituenda eſt, ut ſub ſpurciſſimis nefandiſſimisq. hæreticorum nominibus enuncietur, quaſi ab his aliquid ſibi pōderis & auctoritatis accedere poſſit, ſi ſcire autem deſideras qui dicãtur infames, audi Stephanum Ro. Pont. glorioſiſſimum martyrem in Epi.1.ad Hilarium Epiſcopũ: Quod uero conſuluiſti ſedem Apoſtolicã, qui ſunt infames, aut qui ad gradus Eccleſiaſticos non ſunt admittendi, & noſſe te credimus, & pro auctoritate ſedis Apoſtolicæ te informare non denegamus. infames autem eſſe eas perſonas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia. id eſt,

Steph. Ro. P. Epiſt. 1. tom. 1. cōc.

om-

omnes qui chriſtianæ legis normam abiiciunt, & ſtatuta eccleſiaſtica contemnunt: ſimiliter fures, ſacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos: ſepulcrorum quoq. uiolatores, et Apoſtolorum, atque ſucceſſorum eorum, reliquorumq. patrum ſtatuta libenter uiolantes, & omnes qui aduerſus patres armantur, &c.

Impp. Arcadius. et Honorius AA. Iuliano Proc. Afric.

Hæreticos competenti conſtituimus auctoritate percelli, quatenus euidenti præceptione ſe agnoſcant, perpetua inuſtos infamia, a cœtibus honeſtis, & a conuentu

 pu-

publico ſegregandos. quod etiam cō
Tole. 4. 63. firmāt uerba concilii Toletani: Qui in fide Chriſti ſuſpecti ſunt, in teſtimonio humano dubii habentur. infirmari oportet eorum teſtimonium, qui in fide falſi docentur. nec eis credēdum, qui ueritatis a ſe fidem abiecerunt. & multis etiam legibus ſancitum eſt infamis et inteſtabilis pacta, conuenta, contractus, tabulas, codicillos, teſtamēta ſine ulla iniuria infirmari, rumpi & reſcindi, ſtatuas deturbari, terra obrutos erui, monimētá euerti debere, nullaq. ratione in iudicio cum famoſo ſacramento contendendum, quia infami non defertur. idem ſane ius quod aliis præceptum eſt, hæreticis omnium ſcelerum maculis fœdiſſimis eſt conſtitutum. quare abſq. dubio non ſolum eorum codicilli reſcindēdi ſunt,

ſed

ſed etiam nomina ubicumque fuerint expungenda, ne quis ex eorum nominibus teſtimonia ſumat; quod plane licere uideretur, ſi id quod dignitatis gratia doctores egregii ſuo iure ſibi uendicare ſolent, etiam modo hæreticis permittatur. etenim hic honos doctoribus bene de Eccleſia meritis defertur, ut non ſolum nomina ſuſpiciamus, ſed etiam eiſdem noſtram ſententiam tueri poſſimus. foueremus ergo hæreticorum ineptias, & genimina uiperarum aleremus, ſi eorum nomina in ſcriptorũ titulis conſeruaremus. Item, hæreticorum libri ſtatim ſunt infames, quẽ admodum et eorum filii ipſo iure etiam infames cenſentur, quia ſicut parentum gloria et nobilitate filii gaudent, ita ratio poſtulat ut ignobilitatem, dedecus et infamiam in

Prouerb. 17. ſeipſis ſentiant: Gloria filiorum, inquit Salomon parentes eorum. Nec tantum hæreticorum nomina nullam fidem dant libris, in quorum titulis collocantur; quin potius illam maxime minuunt: nam ſicut dignitas uiri plerumq. dicto, quamlibet frigido & ieiuno, pondus addit & auctoritatem: ita bonas plerumq. ſententias tantum quod auctorum ſint non bonorum reiici uidemus. ſic Ae-
Aul. Gel. li. 18. c. 3. ſchines dixit, auctore Gellio, in oratione qua Timarchum de impudicitia accuſauit, quod cum maxime ad rem noſtram faciat, referre non pigebit: Populus Lacedæmonius de ſumma Reipub. ſuæ quidnam eſſet utile et honeſtum deliberabat: tum exurgit ſententiæ dicendæ gratia, homo quiſpiam turpitudine priſtinæ uitæ defamatiſſimus, ſed lingua

tunc

ſuncatq. facundia nimiũ quãto præſtabilis. Cõſilium quod dabat, quodque oportere fieri ſuadebat, acceptum ab uniuerſis, & complacitum eſt, futurumq. erat ex eius ſententia populi decretum. ibi unus ex illo principum ordine, quos Lacedæmonii ætatis dignitatisq. maieſtate tanquam arbitros & magiſtros diſciplinæ publicæ uerebantur, commoto iratoq. animo exilit: et quænam, inquit, Lacedæmonii ratio, aut quæ tandem ſpes erit, urbem hanc, et hãc Rempub. ſaluam inexpugnabilemque eſſe diutius poſſe, ſi huiusmodi anteactæ uitæ hominibus conſiliariis utemur? quod ſi proba iſthæc & honeſta ſententia eſt, quæſo uos, nõ ſinamus eandem dehoneſtari turpiſſimi auctoris contagione. Atq. ubi hoc dixit, elegit uirum fortitudine,

atq. iuſtitia præter alios præſtantem, ſed inopi lingua et infacundum: iuſ ſitq. cum conſenſu, petituq. omnium, eandem illam ſententiam diſer ti uiri cuiuſmodi poſſet uerbis dicere: ut nulla prioris mentione habita, ſcitum atque decretum populi ex eius unius nomine fieret, qui ipſum denuo dixerat: atq. ita ut ſuaſerat prudentiſſimus ſenex factum eſt. id ipſum ſcribit Plutarchus lib. Politi. qui alio loco refert, legem apud Græcos extitiſſe, per quam libri ſceleſto rum hominum etiam boni iubeban tur tolli e medio, ut auctorum memoria deleretur: tantū ubique aucto ritatis & probitatis opinio habet mo menti, quare hæreticorum opera tá quam infamia non ſunt citanda neq. in ſynodis, neq. in inquiſitionibus neq. ubicũq. iudicium fiat de iis quæ

Plut. lib. Politi.

ad

ad religionem, pietatem, & ſcriptu ræ ſanctæ doctrinam pertinēt: ſicq. neque Euſebii, neq. Origenis, neq. magiſtri eius Clementis Alexandri- ni, neq. Tertulliani liber ullus quan tumuis bonus in ſynodis unquam ſiue Græcorum, ſiue latinorum cita tus reperitur, et eodem ut exiſtimo conſilio factum eſt, ut nulla Orige- nis homilia quantumuis docta et pia in Breuiario reformato S.M.Pii V. legatur.

Si iuſtiſſime ſanctiſſimæ leges cen ſuerunt, ut filius propter parentis hæ reſim puniatur in bonis, quare libri qui ſunt ueluti quidam hæreticorũ partus tenere dilecti & uiuæ animo rum imagines, in quibus prolē et ſpe ciem ſuã, ut ita dixerim, propagãt, non puniētur in titulis? in quibus hæ reditarium nomen et ſucceſſionem VI.

ſuam conſeruant. ſua enim poema-
Ariſt. 9. Ethi. c. 7. ta, teſte Ariſtotele, ſupra modum amant poetæ, & affectum in ea tamquam in liberos induunt paternum: amat enim ſuum quiſq. opus uehementer. Adde quod cum per crimen hæreſis pater in filios dominiũ amittat, iuſq. patriæ poteſtatis ſoluatur, & ſui iuris filii efficiantur, qui alioqui ſubditi eſſent, certe dũ libri ſuorum auctorum nomina præferunt, adhuc in eorum poteſtate ſe eſſe oſtẽdũt, a qua tunc liberati omnino eſſe uidebũtur, cum deletis ſcriptorũ nominibus, tantum earum rerum quas tractant, inſcriptionem habebunt.

VII. *Cic. lib. 3. de Nat. De.* Illa eſt pœna peccati iuſtiſſima, ut in eo uitio unusquisq. plectatur, inquo deliquit, atq. ut amittat illud quo bene uti noluit, cum ſine ulla difficultate poſſet, ſi uellet. quod Salo-

mon

mon in libro illo Sapiẽtiæ, cuius ſco
pus eſt iudiciorum reformatio, ut
Magiſtratus ſuis ſubditis bene præ-
ſint, grauiſſimis uerbis docuit: Quod *Sap.*
quidam, inquit, errantes colebant *Cap. 11.*
mutos ſerpentes & beſtias ſuperua-
cuas, immiſiſti illis multitudinem
mutorum animalium in uindictam:
ut ſcirent quia per quæ peccat quis,
per hæc & torquetur. hinc, teſte S.
Cypriano, quia diues ille peccator, *Cypr. Ep. 3*
qui de Lazaro in ſinu Abrahæ poſi-
to; atq. in refrigerio conſtituto im-
plorat auxilium, cum in tormentis
cruciabundus flammæ cremantis ar
doribus aduratur; inter omnes cor-
poris partes, magis os eius et lingua
pœnas dat: quia plus ſcilicet lingua
ſua & ore peccauerat. Impii uero no
ſtrorum temporum hæretici in titu-
lis & librorum inſcriptionibus maxi

me deliquerunt, quare iuſte in iiſdẽ puniri debent, atq. torqueri. hi.n. ut Eccleſiæ & doctrinæ catholicæ ſanctũ nomen obſcurarẽt, aut quoquõ mõ extinguerent, titulorũ & inſcriptionũ omiſſione, mutatione, trãsformatione, detractione & fictione potiſſimũ uſi ſunt, ut his machinis & fallaciis, quas eorũ peruerſitas per uim cõparauerat, Eccleſiã Romanam, aduerſus quã nec portæ inferi præualebunt, euertere conarentur. ut.n. hæreſib. ſuis fidẽ ex auctoritate inſigniũ auctorum cõciliarent, libris nefariæ doctrinæ ab execrandis ſectarũ ſuarum miniſtris editis, & Eccleſiaſtica cenſura damnatis impoſuerunt plauſibiles catholicorum patrum inſcriptiones, & gratioſos titulos, nomina & cognomina, hoc nimirum impoſturæ genere allicientes ad ſe auidos &

in-

ĩcautos lectores, quib. pro ambroſia & nectare fæces & excremẽta, pro re mediis & antidotis lethifera uenena melle prælita uẽditarent, & his illuſa lectorũ ſimplicitas hæreſeon uenena biberet ſine ulla ſuſpicione periculi. ſic proximis annis pernicioſum Calui ni opus emiſerũt ſub nomine Alcui ni, præceptoris Caroli Magni, ad eun dẽ Carolũ Auguſtũ. hũc in modum transformarunt, Henrici Bulingeri li brũ cõtra uiſibilẽ Eccleſiã in librũ S. Athanaſii de uera & pura Eccleſia. Buceri opuſculũ mẽtita in ſcriptione Io. Epiſcopi Roffẽſis de miſericordia Dei, cõ ſimili fraude cõciones Itali- cas Bernardini Ochini apoſtatæ et hæ retici, uerterũt in cõciones Thomę or dinis prędicatorũ, epiſcopi Iuſtinopo litani. eodẽ dolo Epiſtola quædã hæ retici hominis & cælibatus hoſtis ad

Nicolaū primū īter Orthodoxographa Baſileæ excuſa prodiit, ſanctiſſimo Hudalrico Epiſcopo Auguſtano falſo & impudenter aſcripta, quā merum eſſe figmentum doctiſſime Faber Auguſtanus, Frid. Staphylus, Claudius Espencæus & Alanus Copus demonſtrarunt. etiam ſi auctor quinq. librorum de ſacrorum hominum continentia temere admiſerit. neque hoc nouum eſt apud hæreticos fallendi genus, cum idem etiam olim ſæpe fecerint. ita Pneutomachi hæretici, ut Ruffinus ſcribit, qui ſpiritum ſanctum blasphemabant, libellum Tertulliani, de fide Trinitatis male ſentientem, ſub Cypriani martyris nomine multis propagatum codicibus uendiderunt parua æris ſumma, ut eum emptores, & uiri amplitudine, & pretii exiguitate ille

Fab. Aug. Frid. Staphy. contra Illyricum. Claud. Eſp. in li. de cælib. Al. Cop. dialogo. i. M. M.

Ruffin. in Apolog. pro Orig.

cti,

ἑti, libentius emerent, & latentes errores amplecterentur, ceu dogmata ſacra, auctoritate tanti martyris cō-probata. Sic quondã, uti Euagrius prodidit, Neſtoriani, & Euthychiani ſcripta Apollinarii, unde ſuarum deceptionum ſemina acceperãt, ſub Athanaſii Magni attitulatione ediderunt, quo facilius eo luminis ſplendore Catholicorum oculos perſtringerent. Conſtat igitur in librorum titulis et propriorum nominum appellationibus, hæreticos contra Eccleſiam maxime peccare: in iiſdē ergo puniãtur, ut noxæ par ſimilisq. reſpondeat poena: & qui in titulis uincere ſperabant, in titulis uincantur: & qui doloſo & ementito inſcriptionum nomine alios decipere intendebant, in titulis torqueantur; & in eos laqueos, quibus nos irretire & tene- *Euagr. his. Eccle lib. 3.*

Pſal.7. re conabantur, iuſto iudicio incidant:Lacum aperuerũt & effoderũt; foueam fecerunt, in eam cadant: cõuertaturq. dolor in capita eorum, & inuertices ipſorum iniquitas eorum deſcendat. iisdem machinis quibus nos ſtantes primo perculerunt, eos labefactemus, et euertamus, & qui titulorũ mutationis, detractationis & transformationis primi architecti extiterunt, ſuo ipso inuento pereant; et malum, quod in nosmachinati ſunt, idem in ſe, ſicut merentur, experiri, ut Perillus Atheniẽſis cogã-
Plin. lib. 34.8. tur, qui, teſte Plinio, ut Phalaridi Agrigentionorũ tyranno poſt hominũ memoriã crudeliſſimo placeret, ex ære taurũ artificioſiſſimũ fabricauit, cui ianuam inlatere poſuit, ut cum reus incluſus ſubiectis ignibus torqueretur mugitum, non hominis

uocem uideretur emittere: pro quo opere cum a Tyranno pretium poſtulaſſet, in illo ipſe includi omniũ primus a Phalaride iuſſus ſuppoſitis ignibus, artificii ſui uerum experimẽtum præbuit. dequo Ouidius ita cecinit. Ouid. 1. de art. amand.

Et Phalaris tauro uiolenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit autor opus.
Iuſtus uterque fuit, neq. enim lex ęquior ulla eſt
Quam necis artifices arte perire ſua.

Qui ſuum nomen tanti fecit, tamque ardenter & impudenter amauit, ut Eccleſiæ Catholicæ Romanæ Ieſu Chriſti ſponſæ grauiſſimum et ſanctiſſimum nomen deſeruerit, iuſte puniri debet ſui nominis perpetua extinctione. in hæreticos enim uere & uehementer eo ſupplicii genere uendicandum eſt, quo in caput VIII.

no-

noſtrum temeraria ratione conſu-
lunt. nam quis non uidet, eis hoc
quam maxime eſſe propoſitum, ut
Eccleſiæ auctoritatem imminuant,
& illius nomen uel deleant, uel ob-
ruant: ergo pariter referenda gratia
eſt, eorumq. nomina, ubicumque
fuerint, execranda & delenda ſunt,
ut poſthac nulla uſquam tantæ turpi
tudinis auctorum uigeat memoria.

IX. Hæretici, ut teſtantur ss. Cypria-
Cyp. de unit. Eccl. cath. nus & Hieronymus, ſemper arrogã
tes & Eccleſiæ contemptores extite-
runt, aduerſus ſacerdotes Chriſti fa
cientes, a cleri eius & plebis ſocieta-
te ſecernentes, arma contra Eccleſiã
portantes, contra Dei diſpoſitionẽ
repugnantes, hoſtes altaris, aduerſus
Chriſti ſacrificium rebelles, perfidi,
ſacrilegi, ſerui inobſequentes, filii
impii, fratres inimici, Dominicam

ueri-

ueritatem profanantes. Quis hæreticorum non in ſuperbiam extollitur? omnes quidem tument, Eccleſiæ ſimplicitatem paruipendunt, & fidem imperitiam reputant. tales in nouiſſimis dieb. futuros eſſe ſanctus Apoſtolus ad Timotheum in ſpiritu ſcripſit, cum ait: Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, uoluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes. primo loco poſuit Apoſtolus φιλαύτους ſeipſos amantes, ut nimius ſui amor fons, & origo ceterorum quæ ſequuntur, eſſe intelligatur. ex quo

Hier. ſ. 1. c. Abd.

Tertu. de præſ.

2. Tim. 3.

illa inſignis & ſingularis inſolētia, ſuperbia & contumacia hæreticorum nata eſt, ut ſua ſcripta nullius ſynodi & concilii ſentētiis atq. decretis ſubiicere uoluerint: ſed cum omnibus chriſtianis, ideſt, cum catholica Eccleſia pugnare, cuius iudicio cetera deferenda ſunt, & committenda. Iudicium enim ſynodorum, ut inquit Leontius, ſolutio eſt dubitationis, ſecundum canones Eccleſiaſticos utriq. parti cōtendenti: cum quo iudicio qui pugnat, non iam inquit, cū aliquibus perſonis pugnat, ſed cum toto chriſtianiſmo. cum igitur tam peſſime & pernicioſe ſint de Eccleſia catholica meriti, non eſt rationi conſentaneum, ut in ea, honore auctoritate & Doctorum dignitate potiantur. quod cū eorum propria nomina in titulis conſeruamus, eos ho-

Leont. in lib. cont. Acephal.

honoramus & ſuſpicimus, & ea in re publico cōſenſu magiſtros & docto res noſtros profitemur: ꝙ plane eſt Eccleſiæ ſanctæ hoſtes enutrire ac ſo uere, ut inſolētiores & improbiores inſurgāt. quare ad fideliū utilitatē & tutelā ꝑtinere uidebitur, ſi hos Calamos pharactas hoc honore et dignitate priuemus: ſic. n. digitorū neruos incidemus, ne amplius ſcribere ualeāt.

Docuit S. Iohan. in 2. epiſtola catholica, hæreticum hominem non eſſe ſalutandum, nec Aue ei dicendū; qui enim dicit ei Aue, communicat operib. eius malignis. idq. ex eo, ut orthodoxi patres interpretati ſunt, quia ſalutare uenerari eſt. ſalutatio enim in ſcripturis honoris exhibitio, & dignitatis teſtimonium eſt. ut: Deſcendimus ad ſalutandos filios regis, et filios reginæ. et: Phariſæi

X

Ioa. ep. 2.

4. Reg. 10.

et

et Scribæ ſalutationes in foro amare arguuntur, eſt etiam mutuæ pacis
Matth.23 Exod.18. &amicitiæ ſignum, ut: Egreſſus Moyſes in occurſum cognati, adorauit, & oſculatus eſt eum; ſalutaueruntque
1.Reg.13 ſe mutuo. et; Egreſſus eſt Saul obuiam Samueli, ut ſalutaret eum.
Didy. in cõ. Gre. Didymus; Communicat, inquit, operibus eius prauis; quia, qui recte cõfitentur et ſcribunt de fide, non tamẽ eos, qui male ſcribunt, reiiciunt, ac deuitant, ſeipſos ſuſpectos reddunt, quod illis aſſentiantur. ſic exiſtimo intelligendum eſſe, quod hæreticos ſalutare, eſt eos uenerari et obſeruare: id eſt, ſalutare hæreticos ſuſpectum reddit ſalutantem, quod eos ueneretur et obſeruet.
Cle. Alex. in cõ. M s. Caſſiodo. li. de inst. diu. lit. Clemẽs Alex. quem Caſſiodorus teſtatur in catholicas Epiſtolas ſcripſiſſe, ſic ait, hunc locum interpretans: Arbitror

au-

autem, quia et orare cum talibus nõ licet, quoniam in oratione, quæ fit in domo, et poſtquam ad orandum ſurgitur, ſalutatio eſt, quæ gaudiũ eſt et pacis indicium. Beatus Ignatius uidetur etiam interpretari hunc locum in epiſtola ad Smirnenſes, cũ loquens de hæreticis; Decet, inquit, abſtinere ab eis: et neque priuatim, neque communiter de eis, ſiue pro eis loqui, ſed attendere legem, et prophetas, et præcipue Euangelium, ut iam communiter, uel priuatim ſalutare hæreticum, nihil aliud uideatur eſſe, quam de hæretico priuatim uel publice loqui fauendo ei: priuatim enim et publice ſiue communiter ſalutare aliquem, genus quoddam eſt, approbãdi illum. Vnde Optatus Mileuitanus contra Donatiſtas. qui pręcipiebant ſuis, ne Aue dicerent non

Ignat. in Epiſ. ad Smirn.

Op. Mil. li. 4. cont. Donat.

D com-

communicantibus cum ipſis: Dixit, inquit, hoc Apoſtolus de hæreticis, quorum cœperat illis temporibus uitioſa eſſe doctrina, qui ſubtili ſeductione uerborum, morbis obſcure ſerpentibus, corrumperent fidei ſanitatem, ut Marcion &c. uſq. in hodiernum diem, hoc ſeruatur, ut ab hæretico nõ liceat litteras accipere, neq. ad eos dare: in litteris enim acceptis uel redditis, ſalutatio fit. dum uero hæreticorum nomina propria in titulis retinemus, eos quodã modo ſalutamus, amplectimur, oſculamur, & hoc ſolo nomine maxime ueneramur. quare cum omni prorſus ueneratione & honore priuari debeant, adeo ut in eorum ſingulos apte quadrare poſſit illud quod in *Ci. in Piſ.* Piſonem dixerat M.Tul. Quis enim te aditu, quis ullo honore, quis deniq.

niq. communi ſalutatione dignũ putet? certe eorum nomina damnanda ex titulis ſtatuerem. iam, teſte Alexãdro, apud Græcos, ſi qui præcipua dignitate et honoribus fulgerent, illos propriis ſalutare nominibus decorum uidebatur. et apud Romanos id longe præſtantiſſimum fuit, ſuis nominibus quemque reuereri, et ſalutare, ſalutantibusq. reddere ſalutem. ideo nomenclatorem, qui nomina ſuggereret habuere: ſi autẽ nomen non ſuccurreret, illum honoris cauſa Dominum appellabant. Et Craſſus infimi ordinis homines ſingulos nominibus ſemper propriis ſalutaſſe dicitur. quod ſi apud Veteres ſalutationes propriis nominibus fieri ſolebant, quid obſecro aliud fuit ſalutationes hæreticis hominibus S. Euangeliſtam prohibuiſſe, quam

Alex. ab Alex. li. 2 c. 19.

Ioan. 2.

Epiſ. orig. clem. Hie. Aug. Cõc. propriorum nominũ appellationes tamquam pernicioſas et periculoſas interdixiſſe?

XI. Nomen, teſte Feſto Pomp. idem eſt ac nouimen, eo quod notitiam faciat. ex eo nobiles dicuntur, quod omnibus noti, uel eorum nomen diuulgatum eſt; quod ſi hæreticorum nomina ſcriptis retinemus, hi equidem cum grauiſſimis uiris fama certare, et nobilitate contendere poterunt, cum pariter eorum omnium nomina scriptis præferantur: quod ſi aliquis contendat, eos nobiles nõ eſſe, cum ſint grauiſſimis criminibus obnoxii, profecto fateri is debet, eos nominandos non eſſe; cum a nomine nobilitas ducat originem; unde ut illorum cõprimamus audaciam, tituli, quos honoris cauſa arrogare ſolent, & nomina quæ eorum indu

unt

unt ſectatores expungenda et extir
panda ſunt ſpinarum more, quæ i-
gne abſumuntur, ut Dauid teſtatur: 2. Reg. 23
Præuaricatores, ait, quaſi ſpinæ e-
uellendi non manibus, non blandi-
tiis, ſed ferro, ligno lanceato, et igne
ſuccendendi donec ad nihilum com
burantur, ideſt, ne ullum unquam
tempus flagitii prodat auctorem. At
ad nihilum alia ratione redigi non
poſſunt, niſi ex hominum memoria
aboleantur. quod alibi imprecatur *Pſa.* 108.
idem Propheta: Ingeneratione una,
inprimis ſtatim operibus deleatur
& opprimatur nomen. ne latius eius
uenenum ſerpat, Iſtud ipſum com-
minatur Moyſes eis, qui abominati
ſunt Deum, dum ait: Ceſſare faciam *Deut.* 23.
memoriã eorum ex hominibus. me-
moria iuſti, teſte Salomone, cum lau *Prou.* 10.
dibus proſequenda eſt: impii uero &

deſertoris nomen uermibus abſumẽ dum, & in quarto libro Regum, has grauiſſimas Iudæis poenas cõſtituit: *4 reg. 21.* Extendam ſuper Hieruſalem funiculum Samariæ, & delebo eam ſicut deleri ſolent tabulæ; & delens uertam, & ducam ſæpius ſtylum ſuper faciem eius. quare hæretici, & eorũ tabulæ, cum diuina & humana ſacrilego ſcelere polluerint, erunt delẽda, & nomina quæ illorum memoriam continẽt, deteſtãda. qua poena Piſonem & Gabinium conſules (ſi ſacra profanis miſcere fas eſt) M. Tullius dignos eſſe iudicauit: Quos nemo eſt, inquit, qui non modo ex memoria, ſed etiam ex faſtis euellendos nõ putet. Maximianus, teſte Euſebio, cum a filio Maxentio in urbe Roma tyrannidem tenente fuiſſet expulſus, & ad Conſtantinum tamquam ad generum

Cic. pro P. Seſtio.

Euſeb. li. 9. Eccl. Hiſ. c. 16.

nerum miſerationis cauſa confugiens, inſidias ipſi a quo religioſe ſuſceptus fuerat, moliretur, in ipſis turpiter deprehenſus, turpius perit. ita ut poſt interitum, ſtatuæ eius atque imagines auferrentur, & in ædibus publicis uocabula eius nominis mutarentur. quod in conſuetudine fuiſſe Sex. Aurelius Victor retulit in uita Domitiani, qui cum ſe Deum ac Dominum dici coegiſſet, & in omne genus hominum, more ferarum graſſaretur, Senatus radẽdum illius nomen decreuit, ne huius memoriam anni conſequentes exciperent.

Sex. Au. Vic. in uit. Domit.

XII.

Hæretici, iure omnib. bonis priuantur, at in bonis quis dubitat præſtantem locum obtinere bonum nomen? quod ſane ex animi ſententia conſequuntur, cum eorum opera humanarum litterarum ſtu-

Aug. cõt. lit. Petil. lib. 2. c. 59 Et in Euã. Io. trac. 6. Auth. Gazar. c. de Hæret.

diis ornata & perpolita, propria au-
ctorum nomina oſtentant, & in ani
mis memoriaque hominum relin-
quuntur: eſt enim quodãmodo per-
mittere illis ſtatuas pro roſtris (ut ita
dixerim) cũ inſcriptione præclara.
Adde quod eadem ratione hæretici
omni poteſtate, iuriſdictione, & do
minio, quod antea habuiſſent, ſpo-
liantur, atq. denudantur: nomina ue
ro eorum conſeruata in libris ſub ip
ſorum dominio poſitos adhuc &
quaſi eorum poſſeſſionem eſſe oſtẽ-
dunt, a qua tunc deturbabimus, cũ
libros, qui iã Eccleſiæ facti ſunt poſ-
ſeſſio, ignominioſa dominatione &
tyrãnide liberabimus. libri enim Stur
mii iã eius nõ ſũt: quare igitur libri in
ſcriptionibus & publicis titulis eorũ
eſſe dicentur, cum reuera non ſint?

XIII. *Athan. in* Epheſii, teſte Athanaſio, cum

cre-

crediδiſſent in Dominum noſtrum *Athan in ſynop.*
Ieſum Chriſtum, genuinam habe-
bant in ipſum fidem, & in omnes
Sanctos dilectionem, cupiebantq. a
ſancto Paulo confirmari: quod ubi
cognouiſſet, ſcribit ad eos epiſto-
lam, in qua agit de laudibus conſtã
tiæ in retinenda uera fidei catholi-
cæ doctrina: multaq. ſalutaria tra-
dit documenta, ut in ea quam ſemel
imbiberant fide, Domini dono per-
ſeuerare poſſent. inter multa uero il
lud prætereundum non eſt, quod ca
pite 5. ſcribit: Fornicatio autẽ & om *Epheſ. 5.*
nis immunditia, aut auaritia, nec no
minetur in uobis, ſicut decet ſanctos:
aut turpitudo, aut ſtultiloquium,
aut ſcurrilitas &c. turpe iudicabat
ſanctus Apoſtolus res malas turpes
& obſcœnas inter chriſtianos refer-
re. Hæretici uero omnium maxime
forni-

fornicantur, qui a Dei uera & ſynce
ra religione deficiunt: multis ſi qui-
Orig. Math 16. dem prophetarum teſtimoniis con-
Hie. Oſe. 1 ſtat a diuina fide defectionem, forni
Amos. 7. *Ezech. 16* cationem uocari. quod ſi fornicatio
Iſa. 1. *Ier. 3.* nominari non debet, neq. etiam illi
qui nos ad fornicandum inducunt,
quam ad rem hæretici conferunt,
qui magno Reipub. detrimento ho-
mines ad talia flagitia committenda
urgent & inſtigant. in quos apte ui-
Ezech. 16 detur quadrare illud Ezechielis: Mul-
tiplicaſti fornicationem tuam, & fe-
ciſti omnia opera mulieris meretri-
cis & procacis: fabricaſti lupanar in
medio omnis uiæ & excelſum tuum
feciſti in omni platea: nec facta es
quaſi meretrix faſtidio augens pre-
tium, ſed quaſi mulier adultera, quæ
ſuper uirum ſuum inducit alienos.
Omnibus meretricibus dantur mer

cedes:

cedes: tu autem dediſti mercedes cũ
ctis amatoribus tuis, & dona dona-
bas eis, ut intrarent ad te undique ad
ſornicandum tecum. Dabo te in ma
nus eorum, qui deſtruēt lupanar tu-
um, & demolientur proſtibulum tu-
um: & denudabunt te ueſtimentis
tuis, & auferent uaſa decoris tui: &
derelinquent te nudam plenamque
ignominia: & adducent ſuper te mul
titudinem, et lapidabunt te lapidi-
bus, & trucidabunt te gladiis ſuis: &
comburent domos tuas igni &c. ubi
Hieronymus: Fornicamur, quando *Hie. Eze. 16.*
deſerentes Eccleſiam, hæreticis iun
gimur, & ædificamus lupanar no-
ſtrum in capite omnis uiæ, quibus
præcipit ſermo diuinus: ſtate in ui- *Ieremi. 6.*
is, & quærite ſemitas Domini ſem-
piternas, & uidete quæ ſit uia bona,
& ambulate in ea, Moyſi uidelicet,
Ieſu,

Ieſu,Iudicũ,& Regum libris,Eſaiaq. & Hieremia, & aliis prophetis. in omnib. uiarum principiis fabricatur lupanar ſuũ, qui ad peruerſitatẽ doctrinæ,teſtimoniis male abutitur ſcriptutarũ,& dicit:hæc ait Eſaias, hæc dicit Oſee, hæclocutus eſt Moyſes, hæc Daniel, & pulchre nõ in mediis uiis,nec in uiarũ terminis ponit lupanar ſuum, ſed in principio. ſi enim ad ſcientiam, & profunda diuinorũ uenerit librorum, errare non poterit. Excelſum quoq. ſuum ſiue baſim facit in omni platea, ethnicorũ ſe & impiorum laſciuiæ uitiiſq. permittens: etiam inter ipſos hæreticos cum ab eis fuerit deturpata, non habens gratiam, ſed patens contemptui: quia facile præteritam fidei perdidit caſtitatem. hæc ille. quare mirandum non eſt, ſi hæreticorum no

mina

mina delenda,& nulla prorſus ratione nominanda iudicemus. Romani adeo malarum & turpium rerũ memoriam ſoliti erant deteſtari, ut ne mortem quidem, teſte Plutarcho, nominare auderent, rati hac acerbiſſima recordatione animi curam moleſtiamq. omnibus exhibere. hanc eandem conſuetudinem indilapidãdis hæreticorum nominibus obſeruandam eſſe cenſerem, cum acerbiſſimũ & deplorandum mortis genus in homines pretioſo Ieſu Chriſti ſanguine redemptos intulerint. ergo ſi nominari non debent hæ peſtes, quæ noſtris corporibus detrimentum pariunt, multo minus debent hæreticorũ nomina ſcriptis exarata retineri, quorũ uel nuda recitatio, tẽtatio quędã eſt, aſſẽſionis captatio, & fornicationis errorisq. in fide. quaſi inductio

Plut. in vit. Cic.

Atti-

XIIII. Nicep. li. 14. Eccl. Hiſ. c. 26. Idem eod. lib. c. 24

Atticus ille Epiſcopus, qui teſte Nicephoro, ſumma prudentia Eccleſiam Conſtantinopolitanam adminiſtrauit, & continua doctrina populũ ad ſtudium uirtutis excitauit, nauale quod ad anguſtias Euxini pōti non longe a tranſitu ſitum, ueteres φαρμακία, ideſt, ueneficum appellarunt, quod ipſe ibi conuentus cogeret, ne locus is infamem obtineat appellationem. nomine mutato θεραπείαν hoc eſt curam, ſeu culturam uocauit. Cum igitur libri ſint ueluti loca quædã amœniſſima rerum geſtarum ueſtigiis illuſtrata, præteritorum iocunda memoria, & futurorum circumſpecta prudentia nobilitata, ad quæ Eccleſiæ ſapientiſſimi & religioſiſſimi quique ſępiſſime ſumma cum honeſtate & utilitate conueniunt, cur patiemur infa-

mem

mem appellationem obtinere? quam certe obtinent, cum hæreticorũ turpiſſima nomina conſeruant, ea igitur aut mutemus, aut extinguamus omnino ad pulchram tanti pontificis imitationem.

Laudantur Epheſii, quod ſeueriſſimis edictis cauerint, ne quis unquam Heroſtratum nominaret, neque illius nomen in hiſtorias referret, quod Dianæ templum ſuis manibus incenderit, ut ea ex re nominis immortalitatem ſibi cõpararet, cuius nominis memoria extincta plane fuiſſet, niſi Theopompus id uulgaſſet, aut nouitate rei allectus, ut plus ceteris ſapere uideretur, nomẽ tale finxiſſet. Cum igitur hæretici Eccleſiam ſanctiſſimum Dei templum euertere & incendere totis uiribus laborent, & ſeditionis funeſtas XV. *Strab. lib. 14. Geog.*

faces

faces in Ieſu Chriſti regnum immittant, uidetur ſane rationi quam maxime conſentaneum, eorũ nomina omnino delere.

XVI. Antiquorum religione inſtitutũ fuit, Gallos, euiratos quippe ſacerdotes, Deorum matri miniſtrare, perpetuæ eius ſeruituti addictos, ꝙ qui patris, matriſue nomen uiolauerit, eo ſupplicio damnandi uiderentur, ne poſſent, ipſi unquam fieri parentes. in qua ſententia fuiſſe Lucretium hæc eius carmina declarant.

Lucret.

Gallos attribuunt, quia numen qui uiolarint
Matris, & ingrati genitoribus inuenti ſunt,
Significare uolunt indignos eſſe putandos,
Viuam progeniem qui oras in luminis edant.

Cum igitur hæretici ſanctiſſimę matris Eccleſiæ nomen uiolare uoluerint, & peccati ſerui cum ſint liber-

tatem

tatem promittentes effecerint, ut fi
lii parentibus et maioribus diſcipli-
nam, quam ad cohibendam carnem
acceperant, repudiauerint, factiq.
fuerint ingrati et ἀνόσιοι, ideſt, impii,
certe tales merito execandi et euirã-
di ſunt, hoc eſt, expunctis et caſtra-
tis eorum nominibus, quibus uirili
ter exultant, et quibus parentes fiũt,
dum diſcipulos tamquam filios ge-
nerant, et de ſuo nomine appellitãt,
perpetuæ Eccleſiæ ſeruituti damnã
di ſunt; ut ei ſuis ſcriptis et labori-
bus, ſi quid boni eorum induſtria et
ingenio partum eſt, adiumentum et
ſubſidium afferant.

Athenienſes, teſte Gellio, nomi XVII.
ma iuuenum fortiſſimorum Harmo *Aul. Gel. li. 9. c. 2.*
dii, & Ariſtogitonis, qui libertatis re *Alex. lib. 3. c. 26.*
cuperandæ gratia Hyppiam tyran-
num interficere adorſi erant, ne un-

quam ſeruis indere liceret, decreto publico ſanxerunt: quoniam nefas ducerent nomina libertati patriæ deuota ſeruili contagio pollui. ſimili exemplo ex contraria ſpecie, antiquos Romanos legimus prænomina patritiorum quorundam, male de Repub. meritorum, & ob eam cauſam capite damnatorum cenſuiſſe, ne cum eiuſdem gentis patritio inderentur; ut uocabula quoque eorum defamata, atque demortua cum ipſis uiderentur.

Cur ergo nos patiemur bonarum & ingenuarum artium illuſtriſſimum nomen in deterimorum hominum nominibus & inſcriptionibus uileſcere & exsordeſcere? Cur hæreticorum nomina iam quaſi demortua non ſepeliemus? & de medio ſublata æterna obliuione quaſi

humo

humo non contegemus? ne ultra per hominum ora cum laude obambulent, & librorum inſcriptionibus indantur? non enim Doctorum & magiſtrorum nomen & auctoritas, quam librorum inſcriptiones hæreticis ſcriptoribus affe-runt, his deferenda eſt, ne omnia eorum nomine tamquam contagio polluantur.

Manlius Capitolinus, prænomine Marcus, quia in affecttati regni ſuſpicionem uenit, damnatus fuit, & de ſaxo Tarpeio præcipitatus, domus diruta, bona publicata. Gentilitas eius Manlii cognomine iurauit, ne quis poſtea ex Manlia gente Marcus diceretur. quare nos non iurabimus, ne ullus in Eccleſia liber am- XVIII. *Plin. de Vir. illuſ.*

Aul. Gel. loco citat. plius hæretici cognomine inquinatus uocetur? Herodes Atticus dicebat dolori ſibi & ægritudini eſſe, quod animalia ſpurca atq. probroſa, nomen uſurparet ſanctiſſimum philoſophiæ, cum in his teterrimis nominib. philoſophiæ dignitas nomenque ſordeſceret. cur ergo nos ſpurciſſima & probroſa hæreti corum nomina, quæ ex titulis cum laude & dignitate pendent, in Eccleſia & diuina philoſophia retinebimus?

XIX. Hunc uero antiquiſſimum in Eccleſia morem fuiſſe argumento eſſe poteſt, quod cum tot hæretici olim fuerint philoſophi, medici, mathematici, & in omni humanarum diſciplinarum genere exercitati, cũq. ſemper hæretici de more habuerint ſeſe ſcriptis & libris ambitioſe effer-

re, & inani oſtentatione ſuas dilatare fimbrias & phylacteria, adeo ut apud doctos & pios in prouerbio ſit: hæreticus eſt, ergo ſcribit - profecto non eſt dubium, multos libros non ad religionem, ſed ad humaniora ſtudia ſpectantes ipſos conſcripſiſſe, quod cum paucisſimi extent, (imo eorum dogmata prorſus nobis incognita eſſent, niſi ſanctorum patrum ea ipſa confutantium cum auctorũ nominibus ad nos uſq. detuliſſent) cõſequitur plane id aliunde accidere non potuiſſe, niſi ex eo, quod eorum nomina fuerint deleta, & ſic omnino extincta. Ex tanta enim prætergreſſa hæreticorum multitudine, Manichæorũ, Pelagianorum, Marcioniſtarum, Anabaptiſtarum, Nouatianorum, Donatiſtarum, Arianorum, Vualdenſium, Vuiclefita-
 rum,

rum, Huſitarum ne littera quidem ſcripta ad nos peruenit, ut intelligant hæretici, quam inutiliter ad ſuam ipſorum perditionem ſchiſmata & diſentiones ſeminare conati fuerint. Iuuat etiam meam hanc coniecturam Conſtantini I. ſummi Pontifici ante annos M C C C L X. factum: is enim ſanctiſſimus & piiſſimus Pontifex, quē caelitus miſſum homines arbitrabantur, habita Romæ ſynodo, Græci Imperatoris Philippici, qui Bardianus dicebatur, & Ioan. Monachi hæreſiarchæ errores contra ſanctorum imagines, & eorum uſum, non modo improbat, uerum etiam decernit, ut ſanctorum patrum imagines, qui ſex conciliis ab omnibus probatis interfuerunt in porticu Beati Petri de-

Plat. de uitis Pont. Ful. lib. 6. c. 3.

pin-

pingerentur ; quod cum intellexiſſet eas a Philippico e parietibus ſanctæ Sophiæ ignominiæ cauſa abraſas fuiſſe , per litteras eum paterne reprehendit, & ſuauiter ad catholicam fidem reuocare conatus eſt: ſed poſteaquam monitus redire ad ſanitatem neglexit , nulla in eo imperatoriæ maieſtatis ratione habita , ſeu ſchiſmaticum extra catholicæ Romanæ Eccleſiæ gremium eſſe declarauit, atque conſtituit , ne imperatoris hæretici nomen publicis ſcriptis , aut priuatis in ære, argento plumbo ue reciperetur, ſed omnino eius memoriam ab omnib. publicis rebus detrahi iuſſit : ut eius qui propter hæreſim indignum ſe feciſſet, qui aliis imperatoribus annumeraretur, nomen quoq. in o-

bliuione ſepeliret. et quia de cauſa fidei omnium grauiſſima agebatur, æque in eum inuectus eſt, ac ſi nullo unquam inſignitus imperatorio honore, priuati hominis ſtatum nõ euaſiſſet. hinc probabile fit, pœnam hanc, quam ſanctus et prudens Pontifex in imperatorem eſt executus, iam alias ab aliis pontificibus in priuatas perſonas fuiſſe decretam, aut ſaltem eius exemplo ſimile quippiã ſæpe in Eccleſia factitatum. quod ſi attente etiam Sophoniam prophetã perpendamus, inueniemus hanc eãdem pœnam Dominum prædixiſſe falſorum numinum ſuperſtitioſarumq. ſectarum miniſtris, quorum innumerabilem copiam illa etiam tempora uentris & otii atq. inertiæ cauſa genuerunt. nam poſt impiorum ruinas & iniquorum ablationes

a fa-

a facie terræ, ex perſona Domini ſubiungit propheta: Extendam manum meam ſuper Iudam, & ſuper omnes qui habitant Hieruſalem: & auferam de loco hoc nomina Baalim, & nomina ſacerdotum cum ſacerdotib. & eos, &c. eorum igitur nomina appellationesq. uarias, atq. ſectarum collegiorumque diſtinctiones penitus extinctum iri ait Dominus.

Soph. 1. ſe cund. 70. ibi Hiero.

Tandem his atq. aliis rationibus diligenter attenteq. conſideratis de hac graui quæſtione, ſacra Illuſtriſſimorum Cardinalium ad librorum expurgationem & indicem delectorũ cõgregatio, ita faciendũ cenſuit, ut non modo ipſa ageret, ſed eas ad S. D.N. Gregorium XIII. Pont. Op. Max. etiam referret: cuius ſancti- XX.

tas

tas admirabili ſua prudentia parique iuſtitia & ſolicitudine circunſpectis rebus omnibus, quæ dubitationem habere uidebantur, ſtatuit, in expurgandis libris id diligentiſſime poſthac ſeruandum, ut hæreticorum nomina omnino expungantur, atque ita ſummo ſtudio faciundum eadem Illuſtriſſima congregatio ex decreto Sanctiſſimi nobis omnibus, quibus examinandorum expurgandorumque librorum munus detulit, ſtricte iniunxit.

Illud uero diligenter in hac diſputatione conſiderandum eſt, ne lector imprudens decipiatur, nos nequaquam contendere hæreticorum propria nomina ſemper & ubique ſine ullo diſcrimine delenda: imo cum a uiris piis & doctis citantur,

aut

aut ut eorum dogmata confutentur, aut ut eorum perperam dicta factaque narrentur, aut alio quouis instituto, quod ad eorum ignominiam & uituperationem ſpectet; aut quod ad Eccleſiæ utilitatem, pietatis religionisque incrementum pertineat omnino uolumus integra incorruptaque retineri: ſed tunc tantum ea expungenda noſtro ſtudio conati ſumus probare, cum eorum nominum appellationes ipſis laudem & gloriam deferre poſſe uidebuntur, quales ſunt quæ in titulis ſuorum operum ponuntur, aut quæ ab ſcriptoribus cum commendatione & ipſorum encomio temere fiunt.

Sed obiiciunt nobis Iſagogem Porphyrii, ſeptẽ regulas Ticonii, & quo magis uideantur nos urgere, opera Obiectio.

Ori-

Origenis infinitis errorib, reſperſa.

Reſpondeo, huiuſmodi opera cum auctorum inſcriptionib. & nominibus imo & erroribus quibuſdã permiſſa, nõ ea rõne ꝙ multa alia habeãt ualde utilia & docta, neq. quia iã ſit conſuetudo ut legi permittantur: ſed quia extinctæ ſunt iam olim hæreſes illæ, ut iam tales hæreſes neq. ipſarum auctorum nomina conſeruata probabiliter non poſſint nocere Eccleſiæ. etenim niſi extinctæ eſſent omnino, ſed adhuc uiuerent, ut uiuunt hæreſes Lutheranorum, nũquam Eccleſia catholica legi permitteret, neq. nomina conſeruaret, neq. ulla conſuetudinis præſcriptio in his quæ ſaluti nocent, ualeret: ut libros quidem Origenis non permitteret Eccleſia legi cum errorib. ſuis, niſi iam diu hæreſis Origeniſtarum

extin-

extincta eſſet, ſic enim olim futuris temporibus cum Deo duce, extincta omnino erit hæreſis Lutheranorum, ita ut nullum ueſtigium reliquum eſſe uideatur, neq. ſuſpicio ulla periculi, fueritq. iam omnis memoria eius deleta, nihil prohibebit quo minus permittat tunc Eccleſia aliquos libros ſub eorum nomine circumferri, etiam ſi non omni ex parte ſint incorrupti. Nunc uero quia hæreſis lutherana, & aliorum ſectæ non ſolum non ſunt extinctę, ſed potius noſtris peccatis ita exigentibus, quotidie uires ſumunt, comburendi omnes mali eorum libri, & ſi qui ſunt boni, ſuppreſſis eorum nominibus permittendi ſunt, ne cum laude & commendatione inter nos uerſari uideantur.

Secundo reſpondeo, quod cum

ſcri-

Eccl. 12. ſcribendi libros nullus ſit finis, infinitaque pene tot ſeculis fuerint ſcripta & in lucē emiſſa uolumina, hæc quæ obiiciuntur, & quæ obiici poſſunt tam pauca ſunt, tamq. rara, ut ſi cum iis conferantur, quæ conſeruari poterant, ſi permiſſa fuiſſent, certe nulla ſint. quare non multum in hac obiectione diluenda laborandum eſt, cum eorum ratio raritate & penuria exemplorum cadat. Adde quod in tanta humanarum rerum & temporum uarietate, & in tam multis hominum ſeculis, annorumque centuriis, & in tam immenſa librorum multitudine & copia, & in tanta animorum & ingeniorum affectione & deprauatione, & in obſequendis ſuperiorum præceptis tanta repugnantia & contemptu, uix ne uix quidem potuit tam accurata diligen-

ligentia & ſolicitudo adhiberi, quin nonnulli ex damnatis auctoribus libri aut malitia, aut ignorantia, aut obliuione, aut negligentia exciderint, & quaſi e manibus elapſi fuerint, adeo ut non modo mirabile, ſed prodigio ſimile mihi uideatur, quod in tanta rerum perturbatione ex tam multis, imo infinitis, tam pauci ſupererint.

Tandem etiam ſi omnia admittamus, ut obiecta ſunt. Reſpondeo cum Innocentio Pontifice non debere reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum uarietatem temporum ſtatuta quoq. uarientur humana, præſertim cum urgens neceſſitas, aut euidens utilitas id expoſcit. idem Artaxerxes in epiſtola, quam pro *De ſang. & affin. c. nõ debet.*

Iudæis

Eſth. c. 16 Iudæis ad regni ſui prouincias ſcripſit, quando ab iniqua in Dei populum ira animum reuocauit: Nec putare, inquit, debetis ſi diuerſa iubeamus ex animi noſtri uenire leuitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, ut reipub. poſcit utilitas, ferre ſententiam. ſancta itaq. Eccleſia ob diuerſas cauſas, mutatamq. rerum conditionem, nonnulla prius probe cōſtituta abolet, aut prouide permutat in aliud, quod magis aut ad sāctitatem, aut ad morum honeſtatem pertineat. Experientia ſiquidem & ſaniori inſpectione iudicii didicimus, hæc maxime nocere poſſe catholicis, atq. noſtra ætate conſultius aliter ſtatuendum: multa enim indies ætas expolit, & in meliorem rationem mutat: namq. humana ſolertia non omnia quæ cogitat, ilico perfe-

cte

cte uidet, ac ſentit: uerum in dies ho minum ingenia magis ac magis acu untur, atq. illuſtrantur: et perſæpe quæpiam, quæ animus noſter heri & nudius tertius non aduertit, hodie ſcire incipimus. nam Reipub. gubernatio paulatim nobis ſeſe detegit, atque enudat: idcirco quotidie prout tempus deſiderare uidetur, nouæ conduntur leges, atq. ita principi ſenatuiq. licet, ſimul pro temporum opportunitate, quatenus expedit, diligenter leges rebus ipſis accomodare atq. temporibus; &, ſi oportuerit, commutare. Videmus enim in bene cōſtitutis Rebuspub. leges a maioribus acceptas poſteris tradi emendatiores: maxime cum emendationem uel mutationem, regiminis norma flagitat, poſtulatque incommodorum præſentium & periculo-

rum imminentium euitatio. neq. hoc eſt maiorum auctoritatem inminuere, aut eorum inſtituta contemnere; quando hoc iuſtiſſime & æquiſſime, & ſumma neceſſitate urgente fit, imo magis hac ratione ipſorum exiſtimationem & auctoritatem amplificamus. Qui uero nihil omnino immutandum ſentiunt, nihil tollendum, aut imminuendum in his quæ ad rectam Reipub. adminiſtrationem ſpectant, nihil etiam ſubſtituendum aut adiiciendum; præſertim cum aliquid magna & prudenti conſultatione ſtatuitur; hi non minus inepte faciunt, quam illi, qui adoleſcentes humilibus quidem natos parentibus, ſed liberaliter educatos, & boni ingenii, maiora ſibi proponere, aut tenues facultates ab eis acceptas, labore, indu-

ſtria,

ſtria, honeſtisq. exercitiis augere prohibent: propterea quod omnes eum uitæ ſtatum retinere debent, quem a ſuis maioribus acceperunt: in eaq. fortuna uiuere, in qua nati ſunt, aut naſcendi initio conſtituti. Qua re cum ratione & experientia didicerimus. catholicorum ſocietatibus, eorumq. ſanctæ inſtitutioni ex hæreticorum nominum permiſſione, multa incommoda & detrimenta poſſe propagari, non mirum ſi modo mutata ſententia (fuit autem eadem forte ſemper) aliud præcipiatur. prudentium enim eſt mutare ſententiam, & ne exempla ad respõſionem hanc meam illuſtrandam aliunde petam, duobus tantum noſtro inſtituto accommodatiſſimis, & ex uno eodemq. S. Auguſtino petitis, cõtentus ero. ſenſit aliquando S. Augu

ſtinus hæreticos non pœnarum ter roribus ad Eccleſiam catholicam reuocandos, ſed uerbo agendum, & diſputatione pugnandum cum illis; re tamen poſtea diligentius conſiderata & experimento edoctus, ſententiam mutauit, ut conſtat ex epiſtola ad Vincentium, cuius uerba ſubiiciã quia noſtro argumento magnam afferre poſſunt utilitatem: Mea primitus ſententia erat, neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum, uerbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione uincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium uerbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis: nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cum tota eſſet in parte Donati, ad

Aug. Epiſ. 48. ad Vinc. li. 2 retract. c. 5. Epiſ. 50 ad Bonif.

unita-

unitatem catholicam timore legum imperialium conuerſa eſt, quam nũc uidemus ita huius noſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, ut in ea numquam fuiſſe credatur. ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipſis rebus agnoſcerem, etiam in hac cauſa recte intelligi poſſe quod ſcriptum eſt: Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit. Quam multi enim (quod certo ſcimus) iam uolebant eſſe catholici, manifeſtiſſima ueritate commoti, & offenſionem ſuorum reuerendo quotidie differebant. Quam multos non ueritas (in qua numquam præſumpſiſtis) ſed obdurate conſuetudinis graue uinculum colligabat, ut in eis compleretur diuina illa ſententia: Verbis non emendabitur ſeruus durus: ſi enim & intellexerit, non obediet.

Prou. 9.

Quinque cauſæ quæ retinent homines in hæreſi.

Timor offenſionis ſuorum.

Obdurata conſuetudo.

Prou. 29.

Quam multi propterea putabant ueram Eccleſiam eſſe partem Donati, quia eos ad cognoſcendam catholicam ueritatem ſecuritas torpidos, faſtidioſos pigroſq. faciebat.

Torpor. quærendæ catholicæ ueritatis.

Quam multis aditum intrandi obſerabant rumores maledicorum, qui neſcio quid aliud nos in altare Dei ponere iactitabant. Quam multi nihil intereſſe credentes, in qua quiſq. parte chriſtianus ſit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, et eos inde diſcedere atq. ad catholicam nemo tranſire cogebat.

Maledicorũ linguæ

Falſa perſuaſio quod nihil interſit in qua quiſq. parte ſit Chriſtianus.

His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis reges ſeruiũt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant; iam hoc uolebamus: ſed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit, iamque faciendi, & dilationum morulas

Pſal. 2

am-

amputauit. Alii dicant, hoc eſſe uerum, iam ſciebamus, ſed neſcio qua conſuetudine tenebamur: gratias Domino, qui uincula noſtra diſrupit, & nos ad pacis uinculum tranſtulit. Alii dicant, neſciebamus hic eſſe ueritatem, nec eam discere uolebamus, ſed nos ad eam cognoſcendam metus fecit attentos, quo timuimus, ne forte ſine ullis rerum æternarũ lucris damno rerum temporalium feriremur: gratias Domino, qui negligentiam noſtram ſtimulo terroris excuſſit, ut ſaltim ſoliciti quæreremus, quod ſecuri numquam noſſe curauimus. Alii dicant, nos falſis rumoribus terrebamur intrare, quos falſos eſſe neſciremus, niſi intraremus; nec intraremus, niſi cogeremur: gratias Domino, qui trepidationem no-

Metus quomodo facit attẽtos hęreticos ad ueritatẽ quærendam.

ſtram flagello abſtulit, expertos docuit, quam uana & inania de Eccleſia ſua mendax fama iactauerit. Hinc iam credimus & illa falſa eſſe, quæ auctores huius hæreſis criminati ſunt, quando poſteri eorum tam falſa & peiora finxerunt, Alii dicant: putabamus quidem nihil intereſſe, ubi fidem Chriſti teneremus: ſed gratias Domino, qui nos a diuiſione collegit, & hoc uni Deo congruere, ut in unitate colatur, oſtendit. hæc ille ad Vincentium. Audi iam & eũdem ad Bonifacium, reſpondentem hæreticorum obiectis qui grauiter conquerebantur quod imperatores gladium contra ipſos portarent, cũ nihil tale unquam Apoſtolos ab ipſis petiiſſe legeretur. Quod enim dicunt, qui contra ſuas impietates leges iuſtas conſtitui nolunt, non pe-

Aug. ad Bonif. Epi. 50. circa. med.

tiiſſe

tiiſſe a regibus terræ Apoſtolos ta-
lia, nõ conſiderant aliud fuiſſe tũc tẽ-
pus, & omnia ſuis temporibus agi.
quis enim tunc in Chriſtum credide
rat imperator, qui ei pro pietate cõ-
tra impietatem leges ferendo ſerui-
ret: quando adhuc illud propheticũ
complebatur: Quare fremuerunt gẽ *Pſal. 2.*
tes, & populi meditati ſunt inania?
aſtiterunt reges terræ, & principes
conuenerunt in unum aduerſus Do
minum, & aduerſus Chriſtum eius.
nondum autem agebatur, quod pau
lo poſt in eodem pſalmo dicitur: Et
nunc reges intelligite, erudimini
qui iudicatis terram, ſeruite Domi-
no in timore, & exultate ei cum tre
more. quomodo ergo reges Domi-
no ſeruiunt in timore, niſi ea, quæ
contra iuſſa Domini fiunt, religioſa
ſeueritate prohibendo atq. plectendo?

do? aliter enim ſeruit quia homo eſt. aliter quia etiam rex eſt. quia homo eſt, ei ſeruit uiuendo fideliter; quia uero etiam rex eſt, ſeruit, leges iuſta præcipientes,& contra prohibentes conuenienti uigore ſanci-
4.reg.18. endo. ſicut ſeruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelſa, quæ contra præcepta Dei fue
4.reg.23. rant conſtructa, deſtruendo. Ioſias, talia & ipſe faciendo. ſicut ſeruiuit
Ion 3. Rex Niniuitarum uniuerſam ciuitatem ad placandum Dominum com
Dan.6. pellendo. ſicut ſeruiuit Darius, idolum frangendum, in poteſtatem Danieli dando, & inimicos eius leoni-
Dan.3. bus ingerendo. Sicut ſeruiuit Nabuchodonoſor, de quo iam diximus, omnes in regno ſuo poſitos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo. in hoc ergo ſeruiunt Domi-

no

no reges, inquantum ſunt reges, cũ ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ nõ poſſunt facere niſi reges, &c. Vides igitur nouas leges condi Eccleſiaſticas pro temporũ uarietate licere, & rigore ſeueritateq. uti multum prodeſſe: ſummum enim pietatis genus in hac re eſſe cenſeo fuiſſe crudelem, atque his, contrariæ opinionis obiectis ſatisfactum puto.

Eorũ igitur nomina quæ Deus non ſumit per labia ſua, neq. Eccleſia eius dilecta ſpõſa sumat, cũ ad ſpõſi ſacramẽtum & fidẽ quodãmodo pertinere uideatur, ſed omnino reiiciat, et inter Eccleſiaſticos pioſq. uiros nõ uiuant, neq. nominentur, ſed potius ut lutũ platearũ conculcãda emitantur, nec honorifice per catholicorũ ora obambulẽt. de huiuſcemodi hominib. dixit Salomon: Nomẽ impiorũ Prou. 10.

pu-

Clem. li. 6.ca. 30. putreſcet. conſtat autem ex conſti-
tutione Apoſtolica, hæreticos magis
impios eſſe quam gentiles, quia gen
tiles ex non Deo faciunt Deum, hæ
retici ex Deo non Deum, dum ei at-
tribuunt quæ ſunt ei contraria. non
igitur nos eorum nomina a putredi-
ne uindicemus, eorum nomina in ti
tulis ſuorũ operum retinentes, quod
maximi honoris eſt. Dauidis contra
impios iuſtum ſanctumq. decretum
Psal. 68. impleamus: Deleantur de libro uiuẽ-
tium, & cum iuſtis non ſcribantur.
Gen. 3. 19 delere autem in ſcripturis ſignificat
2, Mac. 8. euertere, deſtruere, in nihilum redi-
gere. Cum uero hæreticorum no-
mina in ſuorum auctorum libris nõ
permittuntur, tunc maxime in nihi-
Psal. 68. lum rediguntur: Fiat habitatio eorũ
deſerta, & in tabernaculis eorum nõ
Psal. 17. ſit qui inhabitet, Delebo, inquit: do-
minus

minus eos, ut lutum platearum; quod eſt in ſcripturis, eorũ reliquias tollere. peccatoris enim nomen (teſte Arnobio) in generatione una tunc deletur, quando & dæmonum inuocatio, & hæreticorum memoria extinguitur: Non congregabit Dominus conuenticula impiorum, nec memor erit nominũ eorũ per labia ſua. hoc eſt, ad æterna ſupplicia condemnabit, & memoriã eorũ ſempiterna obliuione obruet, ita ut ipſa nomina penitus ignorentur. Quemadmodũ catholici iuſtiq. uiri memoria, bonorũ ſanctorũq. nomen perpetuo celebratur; ita hæretici impiiq. hominis memoria damnanda eſt; & omnino extinguenda. ad quem modum Valentinianus & Martianus conſtituerunt, ut Eutychetis hæretici damnoſa memoria aboleretur, Flauiani au-

Amb. Apolog. Dad.

Arnob. pſal. 108.

Theo pſal. 15.

tem

tem catholici Epiſcopi, ut qui Euty chetis errorẽ pro uiribus impugnaue rat, laudabilis recordatio reuelaretur

Pſal. 111 in memoria enim æterna erit iuſtus.

¶ *Quæ pœna afficiendi hæretici*

Leo, ut Philoſophi ſcribũt, ꝙ ignẽ

Ariſ. 9. de Hiſt. ani. ingenitũ & in ipſis oſſib. obſtruſum

Homer. geſtet, propterea ignẽ præcipue for-dat, adeo ut nihil æque uereatur atq, prætentas faces, quibus ad ferociam eius domitandã nihil efficacius: quod et Homerus teſtatur eo carmine.

καί ὁ μὲν δεί τεδι ε ται τάς τετρεῖ ἐσσύμενος περ.

Ardentesque faces, quas quamuis ſæuiat, horret.

In cuius trepidationis admirationẽ adducti Aegyptii ſacerdotes hominem ſuper igne formidoloſe ſolici-

Hierogl. tum, & quaſi ueſanientem oſtendere ſi uellent, Leonis ſimulacrum et faculam pingebant. Contra hæreticos Eccleſiæ catholicæ aduerſarios, qui

tamquam

tanquã leones rugiẽtes omnia circu unt, nihilq. intẽtatũ relinquunt, quæ rẽtes quẽ fideliũ deuorẽt; ſuperbiæ, in uidiæ & ambitionis ignes in ipſis pla ne oſſib. geſtãtes, ſane igne agẽdum, eſt quẽ ſolũ & uehemẽter formidãt: sic enim animos, impetus & ferociã impotentẽ cõprimere quoquomodo poterimus. Succidẽda eſt igni nomi- *Iob.22.* num eorũ erectio, & reliquiæ memo riæ eorũ igni deuorandę: ac proinde S. Hieronymus eorum doctrinã cau *Hier. Eſa. 7.* das ticionũ fumigantium appellat, quia finis eorũ exuſtio eſt. igne nomi na eorũ pereãt, quoniã intẽderũt ar- *Pſal. 10.* cũ, parauerãt ſagitas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. *B. Ar. M.*

Tentis nocentes arcubus impij
Neruos ſagittas addere tortiles
Numquam remittunt, ut latenti
Fraude uiros feriant modeſtos.

per-

Permixta & ignis ſulfura funibus
Et fulminanti ſpiritus impetu:
Hæc ultionis pars ſceleſtos
Vaſe ſuo manet ebibenda.

Conterat Eccleſia arcum, & confringat arma, libros nempe: & ſcuta, quæ ex ipſis pendent, hoc eſt, nomina eorum magnifice poſita comburat igni; Incenderunt igni ſanctuari-
Pſal. 75. um Domini in terra, polluerunt tabernaculum nominis eius. quare ponat eos ut clibanum ignis: conturbet
Pſal. 20. eos & deuoret ignis, fructum eorum de terra perdat, & ſemen eorum de filiis hominum: quoniam declinauerunt mala, cogitauerunt cõſilia quæ non potuerunt ſtabilire. Ignis, inquit Salomon, uindex eſt orbis iuſtorum, & uindicta impii, ignis. Vtinã
Sap 16. Eccle. 7. eos cremare & incendere poſſemus

igni

igni illo, de quo Dominus: Ignem ue *Luc. 12.*
ni mittere in terram: & quid uolo,
niſi ut accendatur? utinam inquam
eorum ignitas linguas ſeditionis &
omnis chriſtianæ perturbationis fla
bella, in flammam eam coniicere
poſſemus, quam ſaluator noſter ac-
cendit, cum duodecim Apoſtoli ab *Act. 2.*
eo electi afflati ſunt igneis linguis.
huiuſmodi enim linguæ ſplendore
tanto conſpicuæ, omnino ſignifica-
bant, eam orationis uehementiam,
ardorem illum, illamq. fandi uim
cælitus illis affuturam, ut quæ a diui
no magiſtro præcepta acceperunt,
per uniuerſum mox terrarum orbē
perſuaſibili (penetrat enim ignis) ſer
mone diſſeminaernt, ſanctiſſimisq.
monitis mortale genus incenderent,
aberrantesq. late mentes & inſcitiæ
torpore frigeſcentes, pietatis ardo-

re ſuccenſas, ad hoſtiæ puræ atque immaculatæ ſacrum incitarent, eſſetq. eorum fulgurum ſonitus in omnem terram exiturus. Vtinam aliquid tale de deſertoribus audiamus & aliquando ſpiritum illum Sãcti Pauli induant, ut iam de unoquoque eorum dicere poſſimus: Nonne hic eſt, qui expugnabat in
Act. 9. Hieruſalem eos qui inuocabant nomen Domini, et huc ad hoc uenit ut uinctos illos duceret ad principes ſacerdotum? et illud de filio prodigo: Mortuus erat, & reuixit; perie-
Luc. 15. rat, & inuentus eſt: Deus eorum mi
Pſal. 66. ſereatur, & illuminet uultum ſuum ſuper eos, puriſſimamq. ſuorum ſermonum facem porrigat, ut extenta manu iacentes in tenebris, & in umbra mortis, ad lumen ſynceræ cognitionis ſubleuet. Sana Domine populum

pulum tuum, miſerere miſerere rudis imperitæq. multitudinis plebis tuæ, quæ Duces ſecuta cæcos, quantum periculum adierit, non peruidet. nec miretur aliquis, quod in huius diſputationis progreſſu hæreticos contumelioſe tractauerim, licere hoc exemplo S. Apoſtoli probatur, qui Barieu, ſiue Elymum magũ, filium Diaboli, inimicum omnis iuſtitię, & plenum omni dolo & omni fallacia uocauit, & beatus Iohannes Cherintũ primogenitum Satanæ et eodem nomine Polycarpus Marcionem appellauit. *Act. 13.* *Irena. lib. 3. c. 3.*

Et ut ſemel finiam, adductus chriſtianæ pietatis domusque Domini puriſſimo Zelo, ac in proximum caritate, Catholicos omnes fideliter cãdideq. præmoneo, ut ab hæreticorũ librorum lectione quacũq. dere

tractent, tamquam a portentoſis mō ſtris prudenter in poſterum præcaueant, ne eorum exiſtimatione & opinione circumuenti ad alia eorum opera quærenda, pernicioſa curioſitate ferantur, & tandem in ea incidant, per quæ in perpetuam perditionem miſere præcipitentur. Poſt ſcripturas ſacras ſcribit S. Hieronymus ad Furiam: Doctorum hominum tractatus lege, eorum duntaxat quorum fides nota eſt: non neceſſe habes aurum in luto quærere. Hæreticorum namq. ſcripta cum potiſſimum circa uerborum ornatū & fucum uerſentur, cumq. magis catholicos capere & decipere enitantur & contendant, quam ſolidam & puram ueritatem docere, fit, ut orationis dulcedine & uehementia, & nouitatum ſtudio, quo homines tenentur,

Hiero. ad ſuc. uid.

nentur , commoueantur, & magno clamore eorum opera approbent, conceptamq. ſemel fallacem dulcedinem, & animo incluſam contineant, ſeruentq. atq. ſic paulatim ad ſummam deceptionem perducti miſerabiliter deprauentur, corrumpantur & pereant: quare eos uitate & fugite, ſunt enim tamquam Sirenes quæ uoce, cithara, & tibiis blande ceciniſſe fabulantur poetæ, ut cantus ſuauitate nautas ſopirent, ſopitos demergerent, demerſos etiam deuorarent: facite, obſecro, quod Græcorum ille ſapientiſſimus Ithacus experientia & conſilio inſignis fecit, qui cum illac ſibi iter eſſet, ſociorum aures cera obturauit, ne inſidioſos Sirenum cantus poſſent exaudire, ſe ipſum uero malo nauis iuſſit alligari, atq. ita periculum tutus *Ouid. lib. 5. Met. ſeru. in 5. Aen.* *Homer.*

euaſit. Hæreticorum doctrinam per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri ne guſtetis, quæ rerum inanis cum ſit, tota in ſermonis ſuauitate ut diximus & eloquii elegantia conſiſtit. Io-
1. Reg. 14 nathas enim Saulis filius quia contra deteſtationẽ patris mel guſtauit, in eius indignationem incidit, ut uix populi precibus fuerit liberatus. ne-
Hier. Eſa. 7. 23. Phil. de Vict. offerent. & de congreg. Hier. de māſionib. que mel in ſacrificiis Dei offerebatur, neq. cera quæ dulcia continet, lucebat in tabernaculo; ſed oleum puriſſimum quod de oliuarũ exprimitur amaritudine: Neq. reſpicies,
Prou. 5. inquit Salomon, ad mulierem meretricem, fauus enim diſtillans labia eius, & nitidius oleo guttur eius, nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium. Habent ſimulati olei lenitatem dulcia pollicentes, quæ uertũtur in amaritudinem. promittentes

requiem,

requiem, omnem ætatem ſexumq. decipiunt: ut capiant animas miſerorum, & contaminent Domini doctrinam ad populum: Sunt eorum ſcripta ſepulchra dealbata, quæ foris uidentur eſſe pulcra; intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum. Lignum ſunt & argētum inuolutum, quod de Tharſis affertur, & aurum de Ophaz opus artificis, & manus ærarii, hyacinthus & purpura indumentum eorum: opus artificum (ſiue ſapientium) uniuerſa hæc. Dominus autem Deus uerus eſt: ipſe Deus uiuens & ſempiternus. nam doctrina eorum pro qualitate ingenii uel uilis eſt, ac propterea ligno cōparatur: uel ſimilis argento propter eloquii uenuſtatem: ſplendet in ſuperficie, ſed intrinſecus lignum eſt, uiliſq. materia. ex hoc auro & argē

Matth. 23

Ier. 10.

to ſua fabricantur idola. mittat Do-
Amos. 1. minus ignem in domum Azahel, ignem qui ligna ſtipulamq. conſumat & deuoret fundamēta filii Ader. Ader iuxta LXX. interpretatur εὐπρέ-
Hier. A-mos. 1. πεια, quem nos decorem cum S. Hieronymo poſſumus dicere, eo quod omnis ſermo hæreticorum concinnus atq. compoſitus, & habens pulchritudinem eloquentiæ ſæcularis, facilius decipiat audientes, qui ſum mentes de ueſtimentis noſtris, ut in-
Ezec. 16. quit Ezechiel, fecerunt ſibi excelsa hinc inde consuta, & fornicati ſūt ſuper eis. nam teſtimonia ſcripturarum de propriis carpentes locis; conantur aſſuere his, quibus non queunt coaptare: ad quos dictum eſt in
Ezec. 13. hoc eodem propheta: Væ his qui cō ſuunt ceruicalia ſub omni cubito manus, & faciunt operimenta ſuper

ca-

caput uniuerſæ ætatis: quod Dominus fieri prohibens, loquitur in Euãgelio: Nemo aſſumit commiſſuram panni rudis in ueteri ueſtimẽto; alioqui tollit de plenitudine eius, et peior ſciſſura fiet, nec mittunt uinum nouum in utres ueteres. tales ſunt omnes hæretici: qui teſtimonium in ſuo loco alteri ſenſui congruens, alteri nituntur aſſuere, cum Dominica tunica deſuper texta per totum, ſcindi omnino non poſſit: ſed texta ſpiritu ſancto nullam recipit ſciſſionem. disrumpat miſericors et clemens Dominus ceruicalia eorum puluillos atq. commiſſuras, quibus animas capiunt, & liberet populum ſuum de manibus eorum. Matth. 9. Ezech. 13

Si qui autem ſunt nimis curioſi in legendis hæreticorum libris aut ſcrutandis eorum ſententiis, ut intelligant

gant,quam periculoſe incedant, attente annotent, quid doctiſſimus & Sanctiſſimus martyr Cyprianus hac de re ſcribat ad Antonianum & illud in theſauro pectoris recondát, & tamquam apoſtolicum depoſitum cuſtodiant, ſeruentq. in diem illum tremēdum iuſtitiæ seueritatisq. plenum. ſic habet: Quod uero ad Nouatiani perſonam pertinet, frater cariſſime, dequo deſideraſti tibi ſcribi quá hæreſim introduxiſſet, ſcias nos primo in loco nec curioſos eſſe debere, quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille eſt, et qualiscumq. eſt, christianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt, iactet ſe licet, et philoſophiam uel eloquentiam ſuam ſuperbis uocibus prædicet, qui nec fraternam caritatem, nec eccleſiaſticam unitatem tenuit, etiá

Cyp. Epiſt. 52.

quod

quod prius fuerat, amiſit. hæc ille. Nec miretur aliquis, quod S. Cyprianus tam accurate et uehementer hæreticorum dogmatum et librorum lectionem prohibuerit, nouit enim hæreticos in nullo doctrinæ genere unquam alios inſtituendos ſuſcepiſſe, niſi ut perderent: raro ſcripturas ſanctas legiſſe niſi ut peruerterent. dequibus audi quid Sanctiſſimus Pōtifex Sixtus ſcribat: Multi enim ſūt, quos aut odiendi acerbitate, aut zelandi æmulatione, aut cupiditatis ardore, aut obtrectationis malignitate, aut iracundiæ furore, aut impatiendi æſtuatione, aut luxuriandi uoluptate, aut ſuperbiæ æmulatione, aut mentiendi falſitate, aut maledicendi aſperitate, aut quocumq. alio huiusmodi uitio, ita malæ inſtitutionis conſuetudo, & longi tempo ris

Sixt. de mal. doct.

ris uſus infecit, ut pertæſum illis ſi-
inueteratam iam conſuetudinem bo
næ conuerſationis inſtitutione mu-
tare. Etſi cõtingat ut ex his aliqui di
uinarum ſcripturarum uolumina le
gant, nihil aliud moliuntur, quam
ubicumq. præcepta doctrinæ inue-
nerint, ingenii calumnioſo acumine
& diſputandi arte corrumpere, & ad
uitæ ſuæ patrocinium eiusdem intel
ligentiam temperare. faciunt hoc
dum uolunt uideri non tam legem
contemnere, quam legis auctorita
te delinquere, ſeq. idcirco non agere
quæ iubentur, quia aliter accipien-
da intelligantur, non ignorantes qui
dem quid ueritatis ratio intrinſecus
habeat, & huiuſce fallaciæ deceptio
nem apud Deum ſibi non modo nõ
profuturam, quin etiam pernicioſã
fore optime intelligentes: quippe
cum

cum per ipſam tam ſibi, quam multis minus intelligentibus, æternæ perditionis interitus irrogetur. addit paulo inferius: Omnia illa peccatorum genera, in quę pro humanæ conſuetudinis uitio ſæpiſſime incurritur, & quæ non niſi qui Deum granditer metuunt, uitare noſcuntur, ſubtiliſſima fallaciæ adſertione, & uerſuta argumentandi diſputatione nihil ſāctitati nocere poſſe contendunt, ut hoc artificio ſanctitatis & ueræ doctrinæ illis opinio maneat, & peccandi conſueta libido non pereat. hæc Sixtus. At dices: Hæretici in quibusdam nobiſcum conſentiunt, quæ aliquando diligenter, terſe, ſplendide, et omni ex parte uidentur præſtare; tum nōnulla uera, docta, bona, pulchraque docent, cur hæc ſtudioſus non

le-

leget? cur his catholicus non fruetur? imo ſi hæc quæ dicis, eorum libri continerent, a quibus maxime ſunt alieni, longe periculoſius eſſet in eorum lectione uerſari; & maiori ſtudio ab his cauendũ eſſet. Hi enim quibus multa (teſte Ambroſio) paria ſunt, facile poſſunt innoxias mẽtes, & ſoli Deo deditas, fraudulenta ſocietate percutere, dum malorum ſuorum uirus per aliqua bona noſtra defendunt. Nihil enim periculoſius his hæreticis eſſe poteſt, quam qui cum per aliqua nobiſcum decurrant, uno tamen uerbo, ac ſi ueneni gutta meram illam ac ſimplicem fidem Dominicæ & exinde apoſtolicæ traditionis inficiant. Vnde uehementer nobis cauendum eſt, ne ſe uel ſenſibus, uel auribus noſtris huiuſmodi aliquid latenter inſinuet:

Amb. lib. de fid. Orth. con. Arian. c. 1

nuet:

nuet: quia nihil tam cogit in mortem, quam ſub obtentu fidei fidem uiolare. de amicis Iob, legimus quædam ualde recte ſenſiſſe, ſed tamen per illa ad peruerſa dilabebantur. ubi S. Gregorius: Habent quippe hoc hæretici proprium, ut malis bona permiſceant, quatenus facile ſenſui audientis illudant: ſi enim ſæpe praua dicerent, citius in ſua prauitate cogniti, quod uellent, minime perſuaderent. Rurſum ſi ſemper recta ſentirent, profecto hæretici non fuiſſent, ſed dum fallendi arte utraque deſeruiunt, et ex malis bona inficiunt, et ex bonis mala ut recipiantur abſcondunt: ſicut qui ueneni poculum porrigit ora poculi dulcedine mellis tangit: dumque hoc quod dulce eſt, primo attactu Greg. Iob 5.

deli-

delibatur, etiam illud quod eſt mor tiferum, indubitanter absorbetur. Itaq. hæretici permiſcent recta peruerſis, ut oſtendendo bona, auditores ad ſe trahant; et exhibendo mala, latenti eos peſte corrumpant. Tãdem eos omnes, quos de ſacroſancta Catholica Romana Eccleſia tuenda, eiusq. dignitate augenda, cura ſolicitat, hortor precibusq. quam humiliſſime obſecro; ut omni cogitatione, ſtudio, & prouidentia enitantur, ne malorum & impiorum hominum ſcripta legantur, ſed diligentiſſime ut hactenus, ſuam auctoritatem interponant, ne hæc, quæ prima fronte propoſita leuia paruique momenti uidentur, ulla ratione permittant, ſed omnino a chriſtiana & catholica Repub. explodant. etenim exiguo & ad ſpeciem pio ini

tio

tio, maximam labem & perniciem integris hominum rebus ac morib. communes iſti hoſtes inferre cõſueuerunt. Emerſit hoc genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſæuierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Quare hæreticorum tumentes titulos ne manu parcente contrectent (uirus ſiquidem incluſum dum ſeruatur, exaggerat) apertũ uulnus ſecent, & putredinibus pro priorum nominũ amputatis, medela fortiore curent; ſic enim & ſanctæ religioni, animarumque ſaluti, pro quibus Chriſtus Ieſus ſanguinem ſuum fudit, & Rei publicæ ſtatui, & tranquillitati optime conſuletur.

LAVS CHRISTO IESV.

EPISTOLA IOHAN. MATTHAEI GRYLLI SALERNITANI

Ad R. P. Fratrem Matthęum Gryllum Ordinis Sancti Dominici,

In qua nonnullæ hęreticorum fraudes & calumniæ breuiter deteguntur.

Admodum Reuerende Frater ac Pater

IAM diu nihil ad tuam Reuerentiam ſcripſi, huius uero diuturni ſilentii cauſa fuit, non tam locorum, quibus diſiungimur inter uallum, quam mea multis ab hinc annis a ſancta fide catholica, atque a Dei domini noſtri Eccleſia alienatio atque defectio, ad quam me diuina Maieſtas ſecundum diuitias ſua miſericordia,

cum primum reuocauit, et tuam R. certiorem facere uolui, & hanc epiſtolam, quam tibi gratiſſimam fore non dubito, imprimendam curaui; ut hac ratione meo etiam officio ſatiſfacerem, quod me hortari, & impellere debet, tum ad ea, quæ meo improbo exemplo dedi, damna reſarcienda atque præſtanda, tum ad elaborandum, ut ueritatis lux clarius ſplendeat, unde Jeſus Chriſtus magis cognoſcatur, cognitusque colatur.

Multis iam annis, ut tua Reuerentia non ignorat, ſum principem Salernitanum ſecutus, qui hoc in regno cum eſſet, hæreſis tandem irretitus eſt laqueis, opera uidelicet cuiusdam mulieris, qua

cum

cum illi diuturna fuit conſuetudo; per quam non aliter hæretici principem corruperunt, quam olim per Euam Satan Adamum eluſit ac circumuenit. Et, quod fere fit, ut eorum quibuscum uerſamur & conſueſcimus, mores imitemur; ego miſer ab iisdem ſum deceptus hæreticis, ita, ut per ſeptem annos illorum ſim ſecutus errores, non tamen ſine perpetua animi mei perturbatione ac tempeſtate tandem poſt multas clementiſſimi Dei *admonitiones, et eas cogitationes, quas crebras mihi hæreticorum mores atque actus obiiciebant, Lutetiæ Pariſiorum cũ eſſem, ad ſanctæ Eccleſiæ Romanæ gremiũ redire decreui, atq. hoc*

animi mei propoſitum & deſideri um, Reuerendiſſimo domino Epi ſcopo Cenetenſi apud Regem chri ſtianiſſimum Apoſtolico nuncio aperui & expoſui: quod ut exequi poſſem, uitamque in chriſtiana pie tate quietam & tranquillam age rem, recepi me in Agathen ſem urbem Galliæ Narbonen. ad quoſdam ex regno Neapo itano nobiles uiros, ubi a Reuerendiſſi- mo illius urbis Archiepiſcopo ad monitus, intellexi ad diuinã gra- tiam & miſericordiam promerẽ- dam & conſequendam, me non oportere ſecreta aliqua & obſcu- ra pœnitentia eſſe contentum, ſed faciendum mihi eſſe, ut me in lo- cum aliquem celebrem & illuſtrẽ

trans-

transferrem ,ubi meæ conſcientiæ ſatisfacere poſſem. itaq. pridie Calen. Octobris anni ſuperioris ex urbe Agathē. Auenionē. diſceſſi ut meos errores, apud Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Cardinalem Arminiã cum publice abiurarem, & poenã quamcumque mihi ille pro iure & poteſtate legationis irrogaſſet. , admitterem atque dependerem: uerum ubi ad Montem Peſſulanum perueni, cum eam urbem hæretici occupaſſent, me quoque captum non modo ſpoliarunt, ſed etiam, quamuis mei aduentus cauſam penitus ignorarent, tam diu tamen detinere uoluerunt, quam diu illa urbe, quam cum aliis Regi ſuo rebelles inuaſerant,

potiti ſunt, qua reſtituta, confeſtim ſum Auenionem profectus, ubi & ueritatem penitus accepi, opera ſcilicet diligentiaque Illuſtriſſ. Cardinalis, qui me de omnibus erudiẽdum edocendũq. curauit; & palam ac publice hæreſim abiuraui.

Vera et præcipua meæ conuerſionis cauſa, proculdubio Dei ac Domini noſtri benignitas extitit, qui, ut ſua ſapiẽtia ſuauiter omnia diſponit, mihi huius prorſus execrabilis hæreſis guſtum paulatim adimebat, atq. in uiã rectã ac regiã, quã cũctus populus chriſtianus, ſemper terẽs ad cœlũ cõtendit, me, quaſi tacita, et interna uoce reuocabat hos cæleſtes monitus, etſi diu repudiaui, quod homines nimirũ carnalis libertatis illecebris deliniti, et fœdæ uolupta-

luptatis, quaſi uiſco in hæreſcẽtes, ſe ſe ad ſpiritualium rerũ ſublimitatẽ erigere et attollere nequeũt, aliquã do tãdẽ recepi, adiutus, ut mihi perſuadeo precib. et patrocinio beatiſſimæ Virginis totiuſq. Eccleſiæ catholicæ, et tua etiã caritate et pietate, frater obſeruãde, qui, ut ex tuis litteris cognoui, ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio, continenter a Deo meã conuerſionẽ efflagitaſti. Multa præterea, quæ mecũ quotidie cogitabã, & nunc etiã cogito, me uehemẽter in fide catholica Romana confirmarunt; quæ res uellem equidem ut quieto, tranquillo et attento animo ab illis perpenderentur qui in iiſdem errorum tenebris, et in extricabilib. labyrinthis uerſantur.

Pri-

I. PRIMA eſt, hæreticorum inter ipſos diſſentio tanta, ut non ſolum mutuo anathemate, dum alii aliorum doctrinam inuicem deteſtantur, ſed etiam armis decertẽt. Seditio Antuerpiæ nuper exorta, ubi Lutherani contra Caluiniſtas arma ceperunt: huius rei exemplũ ſuppeditat: quod quidem factum, me tum ad inconſtantiam atque diſſidium iſtorum cogitandum excitauit, qui ſuam ſectam ſpecie Euangelii tuentur, tum ad perſpiciendum infinitum Dei iudicium, qui uindicauit ſe de his inimicis ſuis, & tãdem utraque illa ſecta vna cum aliis Anabaptiſtarum, Adamitarum, & ſimilium pulſa eſt, salua & incolumi catholica Romana religione, antiquam poſſeſſionem retinuere.

Al-

Altera, cum hæretici, nullum ali- II.
um iudicem, quam ſacram ſcriptu-
ram, ſe recipere profiteantur, ta-
men res eo tandem euadit, ut id ſo-
lum in medium proferatur, quod
Caluinus Caluiniſtis, Lutherus Lu-
theranis, Zuinglius Tigurinis, atq.
item alii hæreſiarchæ ſuis diſcipulis
ſcripſerunt, aut tradiderunt: neque
uero interim apud iſtos aut conſtā-
tis conſēſionis ſanctorum Patrum,
aut generalium Conciliorum, quæ
ex toto orbe ad fidei dogmata ſan-
cienda, & quæſtiones profligan-
das coacta ſunt, aut perpetui teſti-
monii chriſtianæ doctrinæ, ulla pror-
ſus ratio habetur, quamuis hæc om-
nia fuerint tot miraculis, tot Sancto-
rum hominnm martyrio, tanta pie-
tate, uitæque probitate comproba-
ta, diuturno denique ſtudio ueræ ſo-
lidæque

lidæque ſapientiæ confirmata, quæ tandem de omnibus erroribus, quos a Chriſti ortu Satan unquam in orbem inuexit, ſemper magnifice triũphauit.

III. Sacræ ſcripturæ translationes amplius ſeptuaginta, eæque inter ſe plurimum diſcrepantes paucis annis a nonnullis hæreticis prodierunt: cum ueteres illi ſeptuaginta interpretes unam duntaxat eandemque penitus cõſentientem ediderint. Catholica quoque Eccleſia multis iam ſeculis una tantum utitur trãslatione, quæ non minus ad animorum catholicorum concordiam, quam ad uniuerſi orbis chriſtiani pacem cõſeruandam facit: dummodo aliæ temere non admittantur.

IV. In omnibus ſacrorum Bibliorũ uoluminibus et exemplaribus, quæ

here-

hæreticorum opera edita ſunt, uidere eſt, non ſolum pleriſque capitub. falſa præſcripta lemmata, atque adulterinas inſcriptiones, quibus mens longiſſime aberrat a diuini uerbi intelligentia: uerum etiam in margine eiuſmodi appoſita ſcholia, & gloſſemmata, quæ Chriſto aperte aduerſantur, ſiue de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, ſiue de re alia quauis agatur.

V. Maior eſt illis religio opinionem mutare, & fidei Ieſu Chriſti rationem, mentemque ſubiectam & obedientem præbere, quam diuinæ ſcripturæ uerba negare, mutilare, deprauare, & immutare. Teſtes ſũt mei oculi, atque aures, teſtes libri Lutheri, Caluini, ipſa deniq. Biblia ſi cum priſcis translationibus conferantur.

Vete-

VI. Veteres ac ſancti doctores, quã-
uis longiſſimis interuallis regionum
inter ſe diſiuncti eſſent: tamen de
dogmatibus & moribus chriſtianis
uno eodemque modo, unaque quaſi
lingua locuti ſunt, et ſcripſerunt:
hæretici autẽ, locis inter ſe alioqui
propinqui & finitimi, opinionibus
tantum diſtant, ut alter alteri aduer
ſetur, contrariaque ſentiat & doce
at: ita Caluinus Oecolampadii, Oe
colampadius Lutheri, Lutherus Ca
rolſtadii, Carolſtadius Dauidis Geo
rgii, Georgius Suuenekfeldii doctri
nam oppugnat, ac labefactat: atq;
idem obſeruare licet in his ſeptua
ginta hæreſibus, quæ hac infelici tẽ
peſtate, diaboli opera, & homi-
num ſcelere ab inferis extiterunt.

VII. Hæretici ſummo ſtudio libros
ueterum Sanctorum ſcriptorum
com-

comburunt & abolent, quos tamen magnopere laudant, ut ſcilicet rudibus hominibus, quos deceperunt, perſuadeant ſua dogmata illorum ſcriptis fulciri & confirmari; ſed ubi ad rem & certamen aliquando uentum eſt, nullus unquam hæreticus mihi probare, aut oſtendere potuit, D. Auguſtinum contra ſacratiſſimũ Miſſæ ſacrificium, contra Purgatorium, contra Sanctorum patrocinia, contra alia denique Chriſtianæ fidei capita ſcripſiſſe: quod autem de diuo Auguſtino dico, idem de ceteris ſanctis Patribus intelligi uolo, quorum ne unam quidem chartã in linguam uernaculam conuertendam aut excudendam curarunt pro tot mendaciis, & tam impiis erroribus, & ſacrilegiis, quæ quotidie edunt, ut hac uanitatis offuſa caligine, longiſſime

giſſime ſemper a luce catholicæ ueritatis aberrent.

VIII. Numquam dederunt operam, ut ex quatuor illis uetuſtiſſimis conciliis aliquod prodiret in lucem, quamuis horum conciliorum auctoritatē apud ſe tantam eſſe uideri uelint, ut in confeſſione, quam nobis proponebant, ea recipi & admitti a nobis iuberent. ſed miſeros nos, qui tam ſtulte ac ſtolide ad æternam perniciem a quatuor hominibus ducebamur, at quibus hominibus? nequiſſimis orthodoxæ religionis deſertoribus, profligatiſſimis transfugis, perditiſſimis apoſtatis.

IX. Omnes iſtos recentiores errores iam priſcis temporibus, ut hæreſes ſæpius exploſos fuiſſe didici & confutatos. a quibus uero? a ſanctiſſimis nimirum pontificib. & martyribus

bus, cum prius a plerisque theologis uniuerſi orbis,& doctoribus accurrate et grauiter iidem errores agitati, & poſtea totius Eccleſiæ populiq. chriſtiani conſenſus eſſet cõſecutus. Videat, quæſo, & attendat uir doctus, quid de antiquis hæreſibus Epiphanius, Irenæus, Theodoretus, ſanctus Auguſtinus (ut ceteros omittam) perſcripſerint, ſi quidem hoc ueriſſimum eſſe demõſtrãt: utinam & ego illos iã ante legiſſem.

Vidiſſe noſtra ætate generalem ſynodum Tridentinam, ad quam cum ſæpius ex omnibus regionibus atque oris Epiſcopi catholici per medias hæreticorum, & infidelium prouincias, atque urbes profecti cõueniſſent; tamen neque de negotio catholicæ religionis diſſenſerunt, neque mortem metuerunt (cum in X.

periculoſiſſimo loco conſediſſent) neque dignitatis, aut aliarum rerum iacturam uel incommodum timuerunt; nulla denique ui terreri potuerunt, quo minus ueritatem profiterentur, & uera reformationis ſtudio contra cuiusuis potentiã libere, atque fortiter tuerentur. Contra, ex altera parte nullus hæreticorum quamuis fidem publicam obtinuiſſet, et eadem ſynodus in loco ab illis expetito haberetur, auſus eſt unquam accedere, ut in medium ſuas opiniones proferret, quæ erant, ſicut ipſi iactabant, ipſamet ueritas, ab ipſo ſcilicet Spiritu ſancto profecta.

XI. Nullam hæretici inter ſe ſynodũ, ſeu potius concilia bulum egerunt, quod uel ad unum menſem duraret, aut probaretur, ac ab ipſiſmet reciperetur. teſtes ſunt conuentus Ver-

matienſis

matienſis & Marburgẽſis ſub Carolo V. imperatore habiti, in quibus diuerſarum hæreſum miniſtri nulla omnino ratione in unam potuerunt ire ſententiam. Teſtis rurſus cœtus iſtorum in pago Poſſiaco noſtra memoria collectus, unde Petrus Martyr, Theod. Beza, & Merloratus inter se mutua contentione diſcordes diſceſſerunt; nec aliud quicquam cõfectum reliquerunt, niſi peſtiferam ambitionis facem, quæ pene innumerabilium Gallorum animos & inflãmauit antea, & nunc etiam uehementer inflammat.

Nemo unquam hæreticus, chriſtianam fidem, ſeu religionem, uſpiam primum ſtatuit; ſed contra inſtitutam euertit frequenter ac ſuſtulit, qui mos iſtorum eſt proprius. XII.

Non eſt inter iſtos uerus aliquis XIII.

Hiſtoricus, neque quiſquam tale a ſuis imprimi aut edi permittunt, ſed quædam ſolum chronica, aut rerum geſtarum cōpendia, quas ipſi Hiſtorias Eccleſiaſticas uocant, in quibus Auctores, quos adducunt, quo pacto a rudibus & imperitis legerentur, cum apud illos nec excudantur facile, nec in maternam linguam uertantur, ſed uel ſupprimantur, uel de medio prorſus tollantur. Prætereo mendacia, commenta, fraudes, nugas, tenebras, quibus & clariſſimā antiquitatis lucem obſcurare, & ſuam uanitatem apertæ ueritati anteferre conantur.

XIIII. Res, quæ præter ceteras me commouit, ea eſt, quod animaduerti id iuris & poteſtatis, quod ſanctiſſimo & Pōtifici Maximo & Epiſcopis aliis quaſi pietatis ſtudio ducti, aut, ne

Chri-

Chriſti auctoritas minuatur, ueriti, detrahunt, ſibi tandem impudenter ſumunt, atque arrogant; unde paſſim diuortia iubent, noua cænæ Domini (ut ipſi loquuntur) & baptiſmorum genera, & ritus inſtituũt, plenarias indulgentias, & iobilæa iis potiſſimum elargiuntur, qui ſacrilegiis, templorum ſpoliatione, decimarum prædatione, urbium, oppidorumque direptione, cædibus & omni genere crudelitatis ceteros antecedunt: quid? nonne iidem et nouam miniſtrorum formam excogitarunt, quos Gebennam mittunt, ut nouas ſibi bullas ac diplomata impetrent; & catholicæ fidei, quæ in baptiſmo Chriſti fuit obſtricta, abiurationem a ſingulis exigunt, & publicas pœnitentias iniungunt, & grauiter ac ſeuere agunt in eos, qui decre

ta & ſanctiones minoris, & maioris Senatus Gebennenſis contemnunt, ac uiolant, et priuilegia concedunt. quorum beneficio liceat maritis & hæreticis habitum induere Clerici, Monachi, Epiſcopi. Bullas dant, & diplomata, ad ineundam beneficio rum, quæ ad ipſos nullo modo perti nent, poſſeſſionem. Cuius miniſtro ampliſſimam abſoluendi tribuunt facultatem ſine ullius criminis exce ptione. In matrim oniis laxant habe nas poteſtatis, in quouis gradu affini tatis, & cognationis & multitu dinis uxorum, Mahometano more, ac ri tu; cum qua ſecta, his uitæ inſtitutis & moribus ita consentiunt, ut mirã dum non ſit, ſi non ita pridem in Pã nonia a quopiam Baſſaio, et proxi me Conſtãtinopoli ab ipſomet Tur carum tyrãno ad perniciem chriſtia

ni

ni nominis auxilium petierint.

Vt omnem penitus uitæ libertatẽ, XV.
quæ mera eſt & turpiſſima ſeruitus
exiſtimanda, retinerent, antea nega-
bant ſe, aut a Rege, aut a Magiſtratu
aliquo ad Miſſæ ſacrificium, ad con-
ciones catholicas audiendas, ad reli-
qua ea præſtanda cõpelli poſſe, quæ
Deo iam inde ab ipſo baptiſmo ſan
cte promiſerunt: cũ tamen iidem iſti
noui prædones, poſtea quam urbes
ceperunt, aut occupatas tenent, quã
innumerabiles, & quidem inuitos,
& religione repugnante; tamen gla-
dio & fuſte ad illos execrabiles & ſa-
crilegos cœtus urgere et compellere
auſi ſunt? quam multos item imma-
niſſimis tormentis excruciatos neca
runt?

Ex iſtorum miniſtrorum impuro XVI.
atque impio ore, nihil aliud unquam

audiui, quam contra tum ſacros, tũ profanos magiſtratus cõuitia et maledicta: libros uero ſimilis petulantiæ, contumeliæ, contumaciæ, arrogantiæ refertos, fœdiſſimis atque odioſiſſimis inſcriptos titulis, non uirginitatis, pœnitentiæ, ieiuniorũ, ſanctæ paupertatis, religioſorum uotorum, omniũ denique uirtutum: cuiusmodi inſcriptionibus ueteres ſcriptores ſuos libros cõmendarunt, ac exornarunt.

XVII. Tantum abeſt, ut quidquam certi ex ipſis acceperim, ut etiam, quicquid mihi dicebant, id aut impudẽs mendacium, aut fraudulentam diſſimulationem, aut meram prorſus hypocriſim eſſe comperierim. Quod maxime in Monte Peſſulano detentus perſpexi, ubi ea mendacia ipſiſmet auctorib. ſparſa ferebantur, quæ

uix

uix cuiquam in mentem uenire poſſe uidebantur, & quidem his mendaciis & commentis uſi ſunt, & ad exigendas extorquendasque pecunias, & ad milites homines imperitos & ſimplices continendos in armis, quæ quamobrem ſumpta eſſent, ne ipſis quidem ſatis conſtabat.

Animaduerti tandem, ac ſenſi minime mirum eſſe, ſi ad hæreſes ſuas probandas atque perſuadendas, & ad Eccleſiam labefactandam & euertendam, Euangelii & religionis nomen uſurparent: cum ad rem bellicam legitimorum principum & nomine abuterentur, & poteſtatem inuaderent & aſſumerent. XVII

Ex tanto ſtudio uerbi Dei, quod iſti ſequi ſe, & explicare iactant, neque maiorem populorum erga ſuos principes, obſeruantiam, & obe XIX.

dientiam,

dientiam , neque puriorem caſtitatem , neque maiorem uitiorum fugam, neque frequentiorem ſacramẽtorum uſum, neque ſeueriorem uitæ diſciplinam , neque uictum parciorem , neque ullum denique ueræ ſolidæque uirtutis ſignum aut indicium unquam deprehendi.

XX. Ex iſtis miniſtris neminem uidi, qui tot rebus per uim ablatis cuiquã ſuorum religionem iniecerit, ut eas reſtitueret, cum catholica Eccleſia nõ prius poteſtatem libertatemque ſui quidem corporis ulli permittat, quam omnia reddenda curet, etiam Iudæis, nedum Chriſtianis.

XXI. Hæreſis, ut ſuam ditionem tueatur, ac ſeruet, modo Euangelii et religionis nomen, ut dixi, modo peculiaris aduerſus aliquam illuſtrem familiam contentionis titulum, mo

do

do communis boni cauſam prætendit, & tamen, quantum commodi attulerit, Reipub. aut, quam concordiam, ſeu religionem polliceatur, per has rationes; & præſidia, quibus hactenus uſi ſunt hæretici, luctuoſa & funeſta Germaniæ, Heluetiæ, Angliæ, Scotiæ, & huius regni calamitas docet.

Numquam accepi hæreticos honeſtam & legitimam, & bonis rationibus partam uictoriam reportaſſe: ſemper autem uictos fuiſſe, ubi nulla fraude proditioneq. niterentur. eius rei teſtis eſt D. Monfortienſis, qui mille hominibus ad honorem ſãctiſſimæ Trinitatis diſtinctis, tum confeſſis & Euchariſtiæ ſacramento confirmatis & munitis centum millia Argonenſium, qui hæreticis Albigenſibus auxilio uenerant, ador- XXII.

tus

tus, ad xx. millia interfecit, reliquos fugauit ac fudit, illorum rege occiſo, cum ex ſuis catholicis non amplius ſeptem uel octo deſideraſſet. Teſtes chriſtianiſſimi Reges Galliæ, qui religionis cauſam ex animo ſuſceptam contra Arianos, aliosue hæreticos, aut cõtra Sarracenos & Turcas, numquam defenderunt, quin Domini exercituum, qui ſuperbos ſemper diſperſit, auxilio freti, multas & præclaras uictorias obtinuerint. Teſtis Carolus V. qui uictor ad flumen Albim exercitum hoſtium concidit, eorumque Duces feliciter cepit, ut omittam Heluetios, qui numero quingenti decem millia hoſtium uicerunt, tum cum eſt Zuinglius interfectus, & illa in Boemia centum millia ruſticorum celeri internecione deleta, iam de recentibus

uictoriis nihil dico, quanto et maiores et illuſtriores extitiſſēt, ſi a catholicis copiis ea pietate, quam quotidianis inſtitutionibus catholica Romana docet Eccleſia, ſtudioque diuini honoris pugnatum fuiſſet, aut ſi ueri tantum catholici ſine hæreticorum colluuione, aut ſine ſocietate prudentium huius ſæculi delecti ad prælıandum fuiſſent.

Miniſtrorum, quos uocant, & aliorum hæreticorum opera & ſtudio uidi Caluini ac Bezæ imagines per totam pene Galliam diſſeminatas, ut in Germania Lutheri, Ioannis Hus, Melācthonis, cū interim iſti idololatras appellent, quod ſumma pietate Eccleſia ſacras Ieſu crucifixi, Beatiſſimę Virginis, & aliorum Sanctorum ac beatorum ſigna imaginesq. proponat, quarum aſpectus noſtram XXIIII

me-

memoriam ad religionem, et omne uirtutis excitat genus.

XXIV. Quemadmodum catholica Romana Eccleſia ſua habet Martyrologia, quibus Apoſtolorum mors atq. obitus continetur, et eorum, quos in actis Apoſtolicis S. Lucas cõmemorat, S. Stephani, & ceterorum: ſic hæretici ſua item Martyrologia (ſi hoc tam honeſto nomine ſunt appellanda) compoſuerunt, quæ in curiis & ſenatibus ſunt non exempla uirtutum, sed criminum ac ſcelerũ commentarii, et capitales libelli: quibus illorum hominũ ob adulteratã pecuniam, ob seditionem, ob hæreſim, et alia id genus ſcelera pœnæ, ſuppliciaque a Chriſtianiſſimis principibus decreta atque impoſita continentur, et tamen in iis ipſis Martyrologiis, tantum abeſt, ut Apoſtoli,

aut

aut alterius ſancti cuiuſpiam uitam inſerere uoluerint, ut propter inteſtinum in Eccleſiam catholicam Romanam odium, ne pueris quidem ſacro fonte ablutis SS. Petri, Paulli, Barnabæ, Auguſtini, Antonii, Frãciſci & horum ſimilium nomina patiantur imponi.

XXV. In calẽdariis, quæ ſuis pſalmis præſcripta & appoſita habent, iſti pro Chriſti natali, morte, paſchae, proque martyrum nece et feſtis diebus beatiſſimæ Virginis matris Ieſu, feſtos dies iudaicos collocarunt, homines synagogæ atque umbræ, quã Eccleſiæ ac lucis ſtudioſiores. itaque apud iſtos iam complures reperies hebræis aut ethnicis nominibus appellari, ut uel hinc coniecturam facere poſſis, quo loco habeant Chriſti legem.

Tam

XXVI. Tam diſſimilis precandi ratio ac ritus iſtorum et Eccleſiæ catholicæ, ſi quidem hæretica precatio ab infeliciſſimo et perditiſſimo quoque uel ab aliquo puero in mediis plateis, ac compitis, et ex pſalmis per Marloratum tranſlatis, et multifariam deprauatis habetur, in quorumuis hominum frequentia et colluuione; cũ noſtra catholica, Romana in tẽplis habeatur cultui diuino dicatis, idque non ſemel in die, ſed ſepties, quemadmodum ſacris litteris admonemur, adeo, ut ad mediam uſque noctem, cum maxime tenebrarum poteſtas uiget, hora nulla pene præterfluat, quin plurimis in cœnobiis, uiri fæminæque ſeorſum pſalmos, laudesque Domino Deo noſtro, totique curiæ cæleſti ſanctiſſime concinant.

XXVII Re ipſa comperi et uidi, omnes hæ

reticorum

hæreticorum conuentus, conſilia, æraria, eleemoſynas, ſurueglians ut uocant, miniſtros diſeniers, diaconos, nihil aliud præ ſe ferre quam euocatorum militum multitudinem ad arma excitatam, ut inde uidelicet fructus oriantur ii, quos multæ prouinciæ, dum indulgẽt nimis atq. conniuent, maximo ſuo malo ſenſere.

Si quis genus et rationem eorum uel concionandi, uel plebis ad arma uocandæ diligenter attenderit, nihil deniq. aliud ab eis agi reperiet, niſi ut imperitorum uitæ, animæ, fortunarum, periculo & damno libertatẽ illam ſuam & apoſtaſim tueantur: cuius retinendæ cauſa nunc ad arma cõfugiunt, qui ſe nuper in cœnobiis ab omni calamitate, ſolius Dei, legumq. præſidio defendebant. XXVIII.

K Ani-

XXIX. Animaduerti præterea in Eccle ſia Catholica prædicationem uerb Dei numquam defuiſſe, & quidē eo linguæ ſermonisq. genere, quod ab omnibus poſſet intelligi, & ne in ipſis quidem quantum libet contēptis pagis, poſt Euangelium, recitationē Decalogi, Symboli Apoſtolorũ & orationis Dominicæ a parochis diligenter fieri deſiuiſſe; niſi quis forte populus per fragilitatem aut aliquã animi peruerſitatem audire recuſans apud ſe conſuetudinem hanc tam late patentem extinxerit. Illud uero mihi præcipue ſtimulos ad cõuerſionem admouit, quod cernerem quã pulchro ordine ex Eccleſiæ inſtituto per totũ annum repræſentatæ, quas Euãgelium deſcribit, actiones, Ieſu, recurrant; ut nullus tam idiota reperiatur, cuius animus ad pietatem ac

cendi

cendi nõ poſſit ex Natiuitate, circũci ſione, Apparitione, Paſſione, Reſur rectione, Aſcenſione Ieſu, Miſſione ſpiritus ſancti, feſto ſanctiſſimæ Tri nitatis, corporis Chriſti in ſacroſan cta Euchariſtia, & aliorum huiuſmo di, quæ ex Dei uerbo ſancita ſunt.

Vltimo deniq. loco, ut alia multa præteream, iſtorum qui ſe nouos Euangeliſtas iactant, et Apoſtolos, et noſtrorum qui uere Euangeliſtæ & Apoſtoli fuerunt, quique illis ſucceſſere uitæ morisque uniuerſi diſſimilitudo. nã Sancti Patres noſtri ab eremis, ieiuniis, omni paupertate & caſtitate ad promulgãdum nobis Euangelium prodiere, doctrinã ſuã ſanctã & immaculatã Dei uerbo, spiritus ſanctiq. unctione & ueris miraculis approbãtes, & publico legatio nis ſuæ teſtimonio, ab iis ad quos Apo XXX.

ſtolicum eligendi ius, Apoſtolicaq. doctrina perpetua & legitima ſucceſſione peruenerat. At uero, noui Euãgeliſtæ, a cubilibus plenis incæſtuũ monialium, quæ Deum ipſum repudiarunt, ab omni uitæ intemperantia, ſine Diuini oraculi teſtimonio, ſine miraculis, ſine legatione in concionem aſcendunt, merceſq. ſuas uẽdunt quamcariſſime: ſi quidem pro ſimplici catholicoq. concionatore, qui paupertatem et uouerit, & Dei beneficio colat, ac tueatur, circũueniuntur rudes ad alendas uniuerſas familias miniſtrorum, eorumq. diaconorum, quibus argentum e ſacris templis ereptum nõ fuit ſatis ad incredibilem explendam cupiditatem. Catholici uero humiliter ſine humanis opibus, ſine ui, Euangelium diſſeminarunt, populoſq. & ipſos etiam

tyran-

tyrannos dicto audientes reddidere: iſti autem armis, ui, contumacia, omnem defectionem, calamitatē q. aggrediuntur inuehere. noſtri illi tēpla ædificāda, loca Deo dicata exornanda curabant: iſti more Vandalorum, Gottorum, Iudæorum illa ipſa demoliuntur, lapides & ornāmenta non ad pietatem, non ad tenuiorum egeſtatem conferunt, ſed quiſq. ſibi uendicat, ad egreſſarum ex clauſtris Monacharum, lectorum, corporumque ſuorum cultum, quæ prius diuino cultui ſeruiebant.

Atq. hæ quidem ſunt cauſæ, quæ me ad priſtinam religionem reuocarunt, cū illud etiā me acriter incitaret, quod tandem uidiſſem eos, qui inter hæreticos reformationis chriſtianæ Reipub. ſtudioſi uidebantur, magis ab iis Epiſcopis uel prælatis iu

uan-

uandis abhorrere, qui illam ſtudent inducere. Si quis Monachus rebellis ſit, multos inueniat adiutores; ita ut Abbas tandem aut cedere, aut in perpetuum diſceptare cogatur. Huc acceſſit, quod hæreticos homines animaduerteram doctoribus ſanctioribusque Pontificibus, aliisq. ſacris hominib. & iis religioſorum ordinib. qui accuratius paupertatẽ et reliqua uota excolunt, quiq. plus populos doctrina, ſacramentisq. iuuant & fouent, acriores eſſe & infectiores inimicos itaq. fructus iam hypocriſis & ſimulationis apparent, ſi cui non plane cor obduruit, intelligentiæq. lumen extinctum eſt.

Quibus rebus alii item multi ad catholicam ſe religionem quotidie referunt, iamq. in Narbonenſi Gallia demortuis hæreticorũ ducib. qui

ru-

rudiores metu cõtinebant,facti ſunt Catholici ad quingẽtos. In eiuſdem prouinciæ oppido Aquis ſextiis procurator quidã Regius hæreſim ſumma ſua uoluntate publice & abiurauit,& deteſtatus eſt.Arelate præterea vir quidã nobili loco natus idẽ omnino fecit.in ea itẽ parte Galliæ Narbonenſis, quæ uulgo Languedoc appellatur,huiuſmodi exempla quotidiana cernũtur,ac propemodũ iã innumerabiles eo ſunt animo,ut ad Ecclesiã Catholicã Romanã edicto aliquo regio reuocari & cogi cõcupiſcãt:reſidet .n. in illorũ animis neſcio quid humani pudoris, atq. conſilii, quod nomen aliquod excuſationẽq. deſiderat apud eos,quib. Hæreticos ſe fore profeſsi ſunt. Tum ego minimus omniũ,cum nullius iuſſum,expectare deberem, qui in iuſſu om-

nium

nium mea ipſa malitia religionem deſerueram orthodoxam, ad eandem ſummo cum animi ardore me recepi, ſperans diuinam mihi maieſtatem pro ſua clementia daturam ſtabilem æternamq. conſtantiã; quocirca et iam te. R. P. oro atq. obſecro, ut Deum Sanctoſq. omnes, ut mihi ſemper adſint, preceris. Has litteras Polixenæ uxori & omnibus propinquis, amicisq. noſtris cupio eſſe communes. Deus autem et Dominus noſter nobis pro ſua benignitate et clementia benedicat; atq. ad ſuum gregem oues reducat errantes, in quibus ego tamdiu miſere numeratus ſum. Auenione, IX. Cal. Auguſt. CIↃ. IↃ. L XVIII.

V. R. Frater obſeruandiſſ.
Iohan. Matth. Gryllus.